



Ignatius Dominicus S.R.I. Comes de Chorinsky
Oppaviensis et Carnoviensis

35.

[illegible] Bibliothek.


DEO
OMNIPOTEN
TI
PROXIMI
EGENTI

GODOFREDI KLAUNIGII,
MED. D. SAC. CÆS. MAJESTATIS PERSONÆ ET AULÆ
MEDICI, ACADEMICI NAT. CURIOS. CÆSAREI

NOSOCOMIUM CHARITATIS


SIVE


HISTORIARUM MEDICARUM

IN

NOSOCOMIO S. S. TRINITATI SACRO OBSERVATARUM,

SPECIMEN I.





VRATISLAVIÆ, apud Michaelem Hubertum
M DCC XVIII.



VIRO
PERILLUSTRI ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO,

DOMINO

FRANC. FRIDERICO POSSINGER

DE PECKENSTEIN,

MEDICINÆ DOCT. CELEBERRIMO
SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJE-
STATIS CONSILIARIO AC ARCHIATRO
GRAVISSIMO

SALUTEM ET PERPETUAM FELICITATEM!



PER-ILLUSTRIS AC EXCELLENTISSIME DOMINE,



NOndum mihi memoriâ excidit, nec unquam excidet ſuave Colloquium, quo ante decem, & quod excurrit, annos me ab itinere cum Sereniſſimis moderni Potentiſſimi Electoris Palatini Conjuge & Filiâ ſuſcepto re-

reducem *Per-Illuſtris Tua Magnificentia* Viennæ excipere fuit dignata. Recolo ſæpius hanc Favoris Tui memoriam, ſed magis adhuc mecum repeto merita Tua, quæ devotâ mente admirari non deſinam. Haud vacat Encomiaſten agere, nec licebit modeſtiæ Tuæ vim inferre; excurrerem alias in laudes, quas in celeberrimâ Univerſitate Oenipontanâ & tandem in Invictisſimi Monarchæ noſtri aula *Tibi* acquiſiviſti nunquam interituras. Verſantur hæ in omnium ore & poſteritatis erit eas cedro dignas commemorare ulterius. Mihi itaque non vitio vertes, *Vir Magnifice*, *quod* per-illuſtri Tuo ſplendore captus *Te* eligere decreverim Noſocomii Charitatis Patronum & Judicem, â cujus arbitrio Primitiarum harum dependebit ſequutura meſſis. Hoc Clypeo munitus ad

Vota me accingo ardentiſſima pro *Tua, Vir Per-Illuſtris*, ſalute, ut eam diu integerrimè conſervet Fons & origo omnis Charitatis DEUS.


Vale! & Fave

Per-Illuſtris & Amplisſimi Nominis Tui

Cultori addictisſimo
D. GODOFREDO KLAUNIG.

Vratislaviæ
die 29. Octob. A. C.
MDCCXVII.

Bene-



Benevole Lector,



Noſocomium, quod cernis, loco ſpeciminis rudi adhuc Minervâ compoſitum, fundamento tamen charitatis ſuperſtructum, ſibi â Te pollicetur judicium charitatis legibus conforme. Primo itaque limine Te ſalutare, & rationibus, quæ ad ædificii hujus ſtructuram me commovent, Tibi obviam ire mearum ſtatuo partium. Non de via me ſucceſſurum confido, ſi abſque ambagibus nonnulla de Medici ſpartâ â Reverendorũ Fratrum Miſericordiæ primo hujus loci Superiore, *Plurimum Reverendo Domino P. Clemente Mentzel* mihi ultrò oblatâ præmittam, utpote cujus hiſtoriâ, dum præconceptis opinionibus exutus noſtrum intendis intrare noſocomium, & ne bivio Te exponas, indigebis. DEO ſint grates! non dura me presſit necesſitas, ut obirem officium ex vulgi opinione periculo plenum & junioribus Medicis unice conveniens, nec in æternum obiiſſem, ſi vulgo ultra crepidam raro ſapienti aſſentire conſultum duxiſſem. Verum

quam

quam inanis ſit illorum faſtus, qui artem, ipſo *Hippocrate* teſte, longam vitâ brevi, etiamſi ultra centum duraret annos, didiciſſe gloriantur, cuilibet ſtolidâ philavtiâ nondum occæcato apparet. Plus vice ſimplici obſervavi, veteranis medicæ Reipublicæ antiſtitibus aquam hærere, ſi ipſis prope lectum res ſit cum ægro, quem in cathedra facili ſanaſſent negotio. Adeò quidem inexhauſta Praxeos clinicæ ſcientia eſt, ut omnem ætatem adhuc inventurum eſſe, in quo deſudare poterit nullus dubitem. Cur non & mihi tenuitatis optimè conſcio incumberet quacunque data occaſione excolere & ulterius promovere artem, cui in academiis, itineribus & per tria luſtra in Patriâ operam navare nihil antiquius fuit. Ne dicam de Viris calcar addentibus, quos Aula Cæſarea, Academia Viennenſis atque Pragenſis & ipſa Muſa vetat mori, intellige *Illmeros*, *Stockhammeros*, *van der Heyden*, *Fabros* &c. *Kirchmayeros*, *Cruſios* &c. quibus in decus ceſſit ejusmodi noſocomiis diu medicinam facere, ut non videam, cur me pudere deberet, eorum veſtigia legere ac defectus meos emendare, ſi modo ſcopum attingam præfixum, DEI ſcilicet gloriam & Proximi ſalutem. Huic innixus nihil me periculi moratur, & quando in

ipſos ſæva medentes

erum-

erumpit clades, absuntque autoribus artes: inprimis cum multifariæ experientiæ sit, non solum in Nosocomiis, sed & alibi Medicos exponi & extingui contagiosis morbis, quod proh dolor! exemplo charissimi mei Parentis non incelebris apud Vratislavienses Medici edoctus testor. Quapropter *J. B. van Helmont tr. de Febb. c. 14. p. m. 102. in opusculis medicis inauditis* audire & sequi placuit, adhortantem: *Quærite & invenietis, modo medicina non in quæstum solum sit. Nam si vobis intentio est Misericordia ex charitate, obviabit vobis in itinere Veritas & Lux à Patre Luminum descendens, cui sit honoris retributio in æternum.*

Ut vero Tibi constet, quomodo Palæstra nostra in experimentorum certitudine aliis, quæ exercitiis medicis dicatæ sunt, palmam præripiat, scias, Lector, me duplici gaudere beneficio. Non possum non, quin primo extollam Institutum RR. FF. Misericordiæ sanctè colendum atque observandum, quod Ipsis injungit ægris non solum justo tempore Victum ac medicamenta præbere, noctu diuque inservire & militum instar excubias agere, sed & Medici ordinationes ad amussim exequi, ut ob strictam ægrorum obedientiam, sollicitumque adstantium ministerium certus esse possit de remediorum effectu Medicus. Præterea in ma-

gna felicitate pono facultatem indagandi morborum genium in demortuorum cadaveribus, cujus adminiculo sæpius quidem errores commissos detegere, sed, quod optimum, imposterum evitare & cautius mercari datur. Soli facem accenderem, si anatomiam practicam à *Bartholino, Wepfero, Boneto, Hartmanno* & aliis satis commendatam, quæ abditas morborum causas scrutatur & in apricum profert, ulteriori encomio mactare vellem, cum emolumentum in artem saluberrimam exinde redundans sole meridiano clarius sit. Hæc perpendens, non miraberis, Lector, Te in Nosocomio charitatis plures invenire historias demortuorum, quam sanitati restitutorum. Horum catalogum texere, Tibi tædiosum & vix forret utilitatis, postquam observationes triviales lippis atque tonsoribus notæ ad nauseam prostant. Illorum autem viscera rimari, nec omnibus licet, nec libet, quibus laboris hujus incommoda obstant, ne artis certitudinem & hominem in homine quærant. Nec mihi opprobrio vertetur ingenua errorum confessio, quam præeunte Celeberrimo *Fonseca* ad declinandas imposterum syrtes candidè profiteri e re nostra esse judicavi. Ipsemet magnus *Hippocrates in libris epidemiorum* historias febre acuta laborantium recensens, non veretur proferre eos, qui artem suam illuserunt, etiamsi

amsi ex numero 42. pauciores, scilicet 17. saltem servaverit. Et quis Medicorum est, qui se ab humanâ sorte alienum jactare possit? Juvabit itaque, spreto sinistrorum judiciorum metu, veritatem sedulo sectari, & tam in sanatis, quam mortuis ea eruere, quæ in Proximi commodum vergere videntur. Huic proposito insistens non excedam Nosocomii limites, si etiam ex sepulchreto vitam atque salutem promovere intendam, id quod pluribus speciminibus docere allaborabo, si Tuus, quem opto, accedat Favor,

Benevole Lector.




Sylla-

Syllabus Historiarum.

I. HIstoria Vulneris ob copiosum lymphæ profluvium notabilis.
II. - - Phthiseos scrophulosæ salivatione mercuriali curatæ.
III. - - Et anatome ex cordis polypo demortui.
IV. - - - ex polypo arteriæ pulmonalis demortui.
V. - - Anasarcæ per exanthemata criticè sublatæ.
VI. - - Febris quartanæ abdominis tumore & Diarrhœâ sublatæ.
VII. - - Cataleptici curati.
VIII. - - Et anatome ex ani fistula demortui.
IX. - - Ulceris in Crure Cacoëthei ultra sëdecim annos occulte serpentis.
X. - - Et anatome Phtibisici.
XI. - - Et anatome Pectoris hydrope & anasarca extincti.
XII. - - Et anatome Tympanitide, anasarca & pectoris hydrope extincti.
XII. - - Et anatome Apoplectici.
XIV. - - Iliaci.
XV. Historia & Anatome Ascitici.
XVI. Pericardii hydrope, strumis ac intestini recti ulcere laborantis atque demortui
XVII. - - Pleuritici.
XVIII. - - Medicamentorum antiquartanorum.
XIX. - - Calculo renum laborantis.
XX. - - Rhevmatismi.
XXI. - - Et anatome Hepatis abscessu demortui.
XXII. - - Fistuloso polypo cor & aortam inhabitante demortui.
XXIII. - - Et anatome Fluxu, sic dicto, hepatico demortui.
XXIV. - - Steatomatum Capitis verticem occupantium.
XXV. - - Et anatome Febre hectica salvis visceribus demortui.

J. J.


ad Hist. 1.
D
C.
A
B.
E
F
G
H



J. J.

I.

Historia Vulneris ob copiosum lymphæ profluvium notabilis.



Uale Diluvium Macrocosmo, disruptis impetu Aquarum aggeribus, tale Microcosmo evenit, si lympha laceratis vasis eorum alveis egrediatur; uterquè enim Agoni proximus censebitur. Etiamsi nobiliores Corporis partes ab extravasatâ lymphâ non immergantur, uti quidem in Hydrocephalo, Ascite, pectoris Hydrope observatur; nihilominus multum periculi imminet, quando ipsi liber & copiosus conceditur effluxus. Non vacat curiosè inquirere, an *lympha* juxta *Listerum de humoribus, fiat ex novo & quotidiano chylo, an vero ex sanguine veterascente;* sufficiat, quod merito annumeretur laudabilibus succis, qui præter secundarios usus primariò nutritionem promovent. Quis itaquè ambigeret majorem ac subitaneam virium prostrationem dispendio lymphæ tanquam humoris laudabilis, quam excretioni nimiæ sudoris in febre sudatoriâ Anglis epidemicâ, lotii in Diabete, alvinarum fœcum in Diarrhœa adjudicare? nisi exempla obstarent, quæ continuum hujus roris imbrem exhibent, haud diminuto naturæ robore, cum tamen modò memoratos morbos nunquam non concomitetur summa debilitas.

Ad evincendam Asserti mei veritatem producam Juvenem *Ignatium Ludewig*, ætatis 20. circiter annorum, cui anno 1714. die 24. Febr. in tumultu inter studiosos & milites hîc exorto globus plumbeus bombardâ explosus superiorem dextri ossis femoris partem intraverat atquè conquassaverat. Diffracti ossis festucæ & purulenta materia Cuniculorum instar hinc inde ductus sibi formaverant, ut vulnus â priori Chirurgo obiter tractatum tot sinubus ac Cavernis appareret, quot schema observationi annexum ob oculos sistit. Hoc miseriarum statu miser Misericordiæ Rev. Fratri D. Cosmæ Chirurgo dexterimo die 5. Septemb. traditur, qui nulli pepercit curæ & labori, ut injectionibus primum ex hb. sabin. scord. centaur. m. absynth. myrrh. aloe cstm aquâ præparatis constantibus, efflorescente verò senecionis herbâ unicè hujus spissiori ac saturatiori decocto (quod reliquis injectionibus vulnerariis palmam præripere multiplici experientia edoctus affirmo) ab ichore, festucis ulterioriquè corruptione liberaretur vulnus altas jam agens radices. Nec voto suo frustratus protusas vidit die 8. Septemb. tres, Mense Novemb. quinquè satis magnas & unam adhuc festucam ab osse femoris Mense Decembri; ichorosa verò colluvies coloris flavi satis abundanter per ostia a. b. exitum habebat. Invaserat insimul ægrum febris vulneraria & vulneratum pedem motus convulsivi, quibus per injectionem anteà laudatum fotusque nervinos atque per pulveres resolventes, antispasmodicos, cinnabarinos obexponebatur. Victis his hostib9 & vulnus & reliqua in melius vergere videbantur. Sed ecce! ex improviso utrumquè pedem circa malleolos occupat ædumatosus tumor mox diminutus, mox auctus; die autem 14. Aprilis anni 1715. tanta sumens incrementa, ut ad inguina usquè ascenderet. Scrotum pariter in stupendam excrevit molem, quæ tamen evanescebat, postquam Mense Maj. acu apertum intra 24. horas ultra tres Mensuras lymphæ profuderat. Die 10.

Au-

Augusti per aliquot dies incipiebat laborare Diarrhœâ, quâ cessante de Inguinis sinistri & cruris dextri dolore conquerebatur, quem die 20. ejusdem Mensis excipiebat sensus dolorificus inflammatorius dextræ tibiæ cum Diarrhœæ recidivâ. Hypogastrii regio non minus intensissimè doluit; & Urinæ suppressio irrito mingendi stimulo stipata, aderat. Appetitus permansit satis integer, atquè noctes tranquillè peregit, si excipias ultimam morbi periodum, quâ dolor sæviit. Nec reticendum sanguinis stillicidum ê naribus quotidie binis vel tribus vicibus ob sanguinis motum per disrupta vasa sanguifera turbatum recurrens: inprimis verò notatu dignum censeo, quod flavescens ichor ê vulnere profluens irruente pedum tumore limpidissimæ ac copiosissimæ lympæ faciem induerit. Magis adhuc miranda est hujus lymphæ copia, quæ ultimis quatuor Mensibus ex suris tumescentibus transsudavit. Spatium huic evacuationi destinatum non excessit volæ manûs magnitudinem, ab epidermide denudatum & quasi excoriatum conspiciebatur, ejusq; pori instar spongiæ ampliores continuo inundabantur. Computus ratione quantitatis, lymphâ scilicet per aliquot dies sollicitè in vasculo collecta, factus comprobavit, unicè ex prædictis spatiis surarum promanasse octo amphoras, & quod excurrit, lymphatici roris, ut taceam illum, quem vix credibili abundantiâ bursis c. & e. toties expressit, quoties vulneris curam habuit Chirurgus. Hinc inde lacrymæ, & occasio nata concludendi, ossicula acuta ab osse femoris discerpta, purulentæ materiæ acrimoniam lacerasse vasa lymphatica ubiquè, inprimis ex conglobatis inguinalibus glandulis numerosè repentia, ut hâc ratione extra vasata lympha ex vulneris ostiis aut ex bursis c. & e. tanquam ex hydrophylacio protrudi ac surarum poros tanquam â scaturigine surgens permeare potuerit. Attamen vires conservavit sufficientes ad vitæ finem, qui, accedente aliquot horis ante analysin faciei intumescentiâ, sequebatur

d. 21. Augusti an. 1715. Si itaquè calculum â *Sanctorio in Medina staticâ* ductum hûc trahamus, juxta quem quilibet homo adultus quolibet die naturali per halitum invisibilem sive per spirationem 50. uncias & ultra, per vesicam urinariam unius noctis spatio lotii uncias sedecim (quod vix per triduum in nostro defecit) excernit, ne dicam de ipso sudore & de alvi fœcibus, quarum unâ sede uncias duodecim â viro robusto deponi, nimis curiosè J. *Hombergius* circa novum suum Phosphorum occupatus observavit in *Historiâ Acad. Scient. Paris. ad an. 1711.* atquè illaudabilibus his laudabilem rorem, cujus jacturam quotidiè vulneratus ad decem libras fecit, annumeremus, vereor, ne nobis Aqua hæreat in explicandâ nutritione, quæ, non obstante tot evacuationum syndrome corpori ægro nunquam defuit. Interim ut in densâ hâc conjecturarum caligine aliquid dixisse videar, *Celeberrimi Pechlini* verba mea faciam, qui circa stupendum sanguinis & puris profluvium in *Thoracis vulnere*, *cujus Commentarium eruditissimis suis Observationib9* adjecit, suspicatur, *quod, nisi quotidiano victu damnum fluentis sanguinis compensatum ex parte fuit, ut compensatum esse potu existimat, necesse sit ab acri materia seri repetatur*, *aut*, *hoc quoquè fallente*, *longe major sanguinis copia venas perambulet, quam vulgò nostri credunt.* Credit verò *Illustris Brunnerus in tractatu de glandulis duodeni* nec legibus naturæ, nec organi colatorii structuræ repugnare, si statuamus chylum etiam per venas mesaraicas ad massam sanguineam ferri & per hanc viam multò breviorem hactenus cognitâ, pariter corpori nutrimentum accedere, quoniam prædictæ venæ ad extrema usum in intestinis villorum (quæ secretionis seu percolationis chyli organa sunt) cacumina exporriguntur majorique frequentia inservatur, quam ut succum alimentarium villi, ceu totidem orificia & infundibula innumera abliguriant. Sed hæc in parenthesi.

In Cadaveris non multum extenuati hypogastrio, ubi anteà dolor sæviit, macula sublivida & in sinistri Cruris inguine

guine pari torturâ vexato vaſa ſanguifera tumida ac fuſco colore quaſi tincta occurrebant notanda.

II.

Hiſtoria Phthiſi Scrophuloſâ laborantis & Salivatione feliciter curati.

PHthiſeos, quæ pulmonum ulcus præſupponit, hiſtoria lippis atque tonſoribus nota eſt; cura verò Medicis tantum negotii faceſſit, ut dubiæ aleæ rem aggredi videatur, qui hoc morbo verè laboranti integram ſalutem promittit. Me quidem minime fugit proſtare ſcriptis conſignatas Obſervationes Phthiſeos medelam jactantes, ſed eas tanquam ſubleſtæ fidei in dubium vocare ſuadet pulmonum in thorace latentium & parenchyma vaſculoſum ſanguineque turgeſcens, & eorum continuus inter reſpirandum motus, utrumque ulceris conſolidationi obicem ponens. Vanis itaque narratiunculis adjudicandum cenſeo, quod in *Bonetti Sepulchreto lib. 2. ſect. 7. obſ. 23. p. 562.* annotatum legi de ſucco Naſturtii aquatici pulmones reſtaurante & regenerante, cujus ſtupendâ efficaciâ commotus Chirurgus Bruxellenſis ad perſcrutandam intimius Curæ ſuæ veritatem, ſanati Phthiſici pectus aperuiſſe, nec hujus audaciæ pœnam luiſſe dicitur, ob artis præſtantiam & utilem finem ſibi propoſitum. Credat qui velit: mihi magis arridet ſincerus candor *Experientisſimi Timæi â Guldenklee*, qui *lib. 2. Epiſt. 2.* ingenuè fatetur, ſe in totâ ſuâ Praxi, quam 37. annos exercuerat, neminem ex iis, quî ulcere pulmonum affecti fuêre, integræ ſanitati reſtituere potuiſſe, etiamſi nihil intentatum reliquerit, quod ad curationem hujus mali ullo modo facere poſſet. Aliter planè ſe res habet cum Phthiſi ſcrophuloſâ, quæ ſedem figit in glandulis juxta trachæam atque ejus ramulos ſitis, cum illæ in ſtatu naturali vix conſpicuæ â coagulatis & ſpiſſis humoribus in tumores excreſcunt

ſcrophuloſos atque morbum producunt a nullo (quantum recordor) præter *Celeberrimum Anglum Richardum Morton in Phthiſiologiâ* obſervatum, cujus notabiliora phænomena ac felicem Curam in Puero 13. annorum *Johanne Friderico Beighart* admirari mihi contigit.

Hic 30. Septembris 1715. Noſodochium noſtrum ingreſſus malorum ſuorum primordia deduxit â doloribus jam a. 1712. Artus invadentibus, qui tandem ſiniſtri genu occupantes Menſe Dec. in ulcus dicti Cruris proruperant. Sequentis anni Menſe April. ſimile ulcus adhuc ſupra os tibiæ apparuit, protruſis autem 7. oſſiculis & adhibitâ aquâ phagedænicâ utrumq; ulcus Menſe Oct. fuit conſolidatum, nec dolores ſentiebantur niſi imminentibus tempeſtatum mutationibus. Has inducias in Menſe Jun. a. 1715. excepit raucedo, tuſſis ferina, difficilis ac dolorifica deglutitio, circa quam inprimis notari meretur, quod liquida haurire requiverit, niſi præmiſerit fruſtum panis vel ſolidioris cibi, mediante quo potui viam redderet patulam, quale quid in œſophagi ulcere ab *Illuſtri Brunnero in tractatu de glandulis Duodeni cap. 10. p. 137.* obſervatum vidi. Menſe Septembris vocis ſonus ob auctam raucedinem fermè penitus defecit, ejusque vices ſupplere videbatur tuſſis nunquam ceſſans. Præterea in Nuchâ oritur Veſica magnitudine dimidium florenum adæquans, quæ aperta eſcharoſſæ excoriationis ichorem viſcidum continuò plorantis faciem induebat. Non incongruè hanc excoriationem dixiſſes fonticulum â providâ naturâ ad ſublevandam reſpirationem poſitum, cum effluente hinc tenaci muco ſemper liberius reſpiraret, obſtructis verò hujus ſcaturiginis poris, periculum ſuffocationis immineret: tantus quidem intercedebat memoratæ eſcharæ cum tumeſcentibus in aſperâ arteriâ glandulis Conſenſus. Phlegma, quod magno conatu exſpuebat, colore albicans & Conſiſtentiâ adeò ſpiſſum glutinoſumque erat, ut illud ſæpius

manu-

manuum ope ex faucibus cogeretur protrahere. Hisce symptomatibus, malo scilicet â cruribus per metastasin ad organa respiratoria translato, stipatum, atque revellendi, incidendi, attenuandi &c. auxiliis indigentem ægrum inveni. Quapropter 3. Octobris die excoriatæ nuchæ cucurbitulam seu ventosam apponere jussi, cujus adminiculo sanguis colore fuscus cum ægri levamine exsugebatur. Exinde mihi nata occasio applicandi ad latus naturalis fonticuli Vesicatorium, quod copiosam gelatinam sperma ranarum æmulantem, & de totius lymphæ spissitudine testantem prolicuit. Miranda hujus lymphæ consistentia memorem me fecit illius Phthisici, cujus urina ita congelata erat, ut instar spermatis ranarum, aut viscosæ aquæ in matula mota fluctuaret saltem, neque facile efflueret, & elevata ligno filium duceret, teste *Reiselio in Ephemerid. Dec. I. an. 8. obs. 30.* Die 14. prædicti Mensis in utroque pede fonticulus excitatus exhibuit multum fusci humoris. Cum collum intumesceret, & sinistro ejus lateri obveniret durus & dolorificus tumor, in salivationis curâ demum evanescens Cataplasma imposui, minime spe frustratus, exinde enim quodammodo melius se habuit. Decimo octavo die circa vesperam evomuit limpidissimæ ac insipidæ aquæ ultra libram uno impetu, acsi vas effunderet, cessante suffocationis, quæ imminebat, metu, huncque vomitum per aliquot dies stato tempore repetiit. Internè varia pituitosam humorum dyscrasiam corrigentia fuêre adhibita, quibus facilè palmam præripit Decoctum ligni Corticisque Guajaci & ex gummi armoniaco parata. Nec polychrestam Vincetoxici radicem scrophulis seu obstructis glandulis specificè dicatam, quam hoc in passu *Excellentissimus D. J. G. Elsnerus in Ephem. N. C. Dec. 1. an. 1. p. 133.* multis encomiis mactat, intactam reliqui, parum autem emolumenti accessit, usque dum duro nodo durum opponerem cuneum & ductu prælaudati *Mortoni* Mercurio, summo viscidum attenuandi remedio, op-

pu-

pugnarem hostem hactenus invincibilem. Suscepi itaque juxta consuetam mothodum salivatoriam Curam, exhibendo primam Mercurii dulcis dosin die 31. & continuando salivæ profluvium ad 22. Novembris diem, quo puerum clarâ voce, liberâ respiratione ac deglutitione, consolidatis cum euphoriâ fonticulis naturali & artefactis, verbo: perfectè sanum dimisi.

Non ita pridem Prætoris suburbani Uxor, phthisi scrophulosâ præcedenti quoad omnia simili laborans, Consilium efflagitabat, sed cum salivationi obstaret ætas provecta & mala per longam invaluêre moram, fatis erat relinquenda, quibus etiam cessit tabe ac suffocatione extincta.

III.

Historia & Anatome ex Cordis Polypo demortui.

VIx occurrit Morbus difficilioris diagnoseos & eventûs magis deplorati, quam quidem ille, quem satis ingeniosè Polypi Cordi inhærentis nomine, alias pisci alicui proprio insignire Medicis placuit. Si enim Curam respicias, nunquam non oleum & operam perdes, cum polypus hic metaphoricus eâdem atrociâ interficiat, quâ piscis, crudele illud animal, homines enecare dicitur, si *Plinio lib. 9. c. 30.* fides habenda sit. Nec meliora fata tibi promittas in dijudicando ac cognoscendo morbo, utpote cujus signa maxime fallacia prædicti piscis instar nos illudunt, qui teste *Gesnero lib. 4. de Aquatilibus p. 871.* pellem in varios, plus quam chamæleon, colores commutare solet. Hos certè scopulos ipsissimis Artis Nostræ Antistitibus evitare haud licuit, &, quod mirandum, maximi Nominis Medicus *Carolus Patin*, qui in proprio corpore Polypum Aortæ alebat, semper incertus hæsit de Causâ mortem sibi inferente. Cur itaque non condonandum esset reliquis Viris celeberrimis in diversas & erroneas sententias abeuntibus?

Con-

Conſtat enim ex *Alex. Knipſmacoppe Epiſtola de hoc Aortæ polypo Appendici Ephemerid. N. C. Dec. III. an. 1.* inſerta, alios pectoris aut pulmonum hydropem, aſthma humoroſ. alios aſthma ſiccum, alios Vomicam in lobis pulmonũ vel membranarum coſtis adnatam, vel crudis tuberculis obſitos lobos, arterias crasſis humoribus vel tuberculis obſtructas, alios arteriarũ anevriſma vel auctum cordis ſubſtantiæ magnitudinem, aut ejuſdem ventriculorum dilatationem, vel pericardium tumore affectum, vel nimiâ lymphâ aut ſero Cor inundans, plures craſſitiem ſanguinis per pulmonis vaſa cordisq; ventriculos lentè trajecti, alios flatus in corde, pericardio vel quâlibet aliâ ſpiritali parte concluſos conjeciſſe. Tot formas Proteus hic tunc temporis induebat, quibus & hodie adhuc limati judicii Medicos fallit, ex nullâ aliâ, me judice, causâ, quam quod diverſiſſima polyporum natura, ſubſtantia, figura, ſitus &c. diverſa exhibeat phænomena fallaci conjecturæ anſam præbentia. Sic polypum Cor occupãtem obſervavit *Tulpius l. 1. c. 27.* ex alba & concretâ pituitâ membranaceo involucro inclusâ; *Smetiꝰ l. 10. Miſc. p. 576.* medullæ oſſium calefactæ ſimilem in utroque Cordis ſinu Sereniſſ. Electoris Palatini Friderici III. *Th. Zwingerus in Ephem. Dec. 2. a 6. Obſ. 232.* ex ſero viſcido in Maſſã tenacem congelatum; *Chriſt. de Helwich Collega noſter & Amicorum optimus in Ephem. Cent. 3. & 4. Obſ. 142.* membranaceum & durum arctè compreſſum; *Bonetus lib. 1. ſepulchr. ſect. 15. obſ. 3.* pituitoſum *& ſect. 13. obſ. 1.* in utroque Cordis Ventriculo Carnis coctæ æmulum. *J. J. Harderus in Ephem. Dec. 2. a. 9. obſ. 91.* Gelatinæ ſimilem *& Dec. 3. a 1. obſ. 18.* carnoſum, qualem etiam *A de Pozzis Dec. 1. a. 4. & 5. obſ. 31.* producit. Inprimis annotari meretur polypus Cordis lapideus Pariſiis apud aliquem inventus, cujus *Valentini in Ephem. Dec. 2. a. 5. obſ. 83.* mentionem fecit, qui ſolus ſufficeret ad refutandam *T. Kerckringii obſ. anat. 73.* quæ genuinam polyporum exiſtentiam in dubium vocat, niſi *Pechlinus obſ. 1. libri 2.* ſolidiora adhuc oppoſuiſſet argumenta.

B Præ-

Præterea quoad magnitudinem, formam & numerum quam maxime inter ſe differunt; dantur enim, qui unum, quandoque etiam qui binos, uti ex antecedentibus apparet, cordis thalamos inhabitant; qui mediocris, vel etiam, qui ſtupendæ ſunt magnitudinis, & per omnes Cordi vicinos ramos arterioſos pariter atque venoſos ſerpunt, quales innotuerunt *Eduardo Tyſon* in Cane Iſlandicâ, quorum unus ex dextro Cordis ventriculo per totius venoſi generis ſyſtema, alter ex ſiniſtro per ſingulas arterias ſurculos ſuos ſpargebat, ut exſiccatus poſtmodum inſerviret prælaudato Tyſon pro ſchematiſmo ad demonſtrandas vaſorum ſanguiferorum propagines, prout referunt *Act. Medic. Hafnienſ. Vol. 5. obſ. 29.* Quis itaque dubitaret, aliam planè tragœdiam ludi â polypo duro ſanguini affluenti fortiter reſiſtente, quam â molli, aliam â magno & in vaſa usque diffuſo, quam â parvo, aliam ab unico, quam â binis utrumque cordis ventriculum occupantibus atque diſtendentibus? cum ſecundum has differentias partes Cordi adjacentes nobiliores, organa intellige reſpirationi atque ſanguinis motui dicata magis vel minus lædantur & ſymptomata producantur varii aſpectûs ac ſenſus, quæ polyporũ hiſtoriam reddunt confuſam, eorũq; diagnoſin dubiam. His in tenebris oberranti unicè reiterata Anatome filum offert ariadnæum, quo duce eluceſcere tandem poterit clarior hujꝰ morbi notitia, quæ hactenꝰ â priori, ut cum Philoſophis loquar, defuit. Quapropter & ego operæ pretiũ me facturũ confido, ſi ea, quæ ante & poſt mortem alicujus polypo extincti obſervare contigit, rudi licet penicillo adũbrem, perſuaſus lucis fore ut intricato huic affectui aliquid, affulgeat.

Is, de quo jam incidit mentio, Vir fuit 32. Annorum *Chriſtophorus Kayſer*, qui durâ egeſtate preſſus anxiè ac miſerrimè vixit. Febrem quartanam forſan ex curis & alimentis depravatis anno 1715. circa Menſis ſeptembris finem contraxerat, ſublatam iterum Menſe Novemb. hauſtu mixturæ ex

pro-

proprio lotio, pipere & vino cremato compositæ. Hâc methodo se sanatum credidit ad 26. usque memorati Mensis diem, quo illum invaserunt horror, æstus ac puncturæ in pectore versus dextri lateris regionem tanto cruciatu, ut d.3. Decembris asylum in Nosocomio nostro quærere cogeretur. Verum mox ulterius progrediebantur symptomata, & superveniebat sitis, agripnna, anorexia, difficilis respiratio, tussis, anxietas præcordiorum, Cordis palpitatio atque sudor instar illius, qui Anglis quondam teste Sennerto de Febb. l. 4. c. 15. & Willisio in Pharmacevtice rationali sect. 5. c. 1. fuit endemius, noctu diuque sine induciis profusissimus, cum lotio maximè turbido pulsuque debili & inæquali. Nono tandem hujus Mensis die accessit Diarrhœa inprimis notabilis, quod excretus humor talis fuerit, qualis ille, quem in Corporis cavitatibus copiosissimè repertum postmodum indicabo. Cessante die 14. hoc alvi fluxu prope umbilicum durities versus os pubis se extendens tactu explorabatur, atque vomitus ægrum fatigabat, qui tamen insimul cum modo dictâ abdominis duritie evanuit, applicato tumori cataplasmate & redeunte diarrhœâ. Die 20. per aliquot horas frigus sæviebat intensum, quod excepit æstus, tussis ferocior sine exspuitione & tabes indies augmenta sumens usque dum die 24. Januarii a. 1616. irrueret diu exoptata Mors omnium Miseriarum Meta.

Mihi interim animo insedebat sollicita cura de verâ hujus mortis causa, quæ etiam ut eodem die cultro anatomico perlustraretur, dedi operam. Obstupui verò cum aperto thorace atque abdomine omnia viscera quasi oceano immersa conspicerem, adeò quidem utraque cavitas lymphâ flavescente erat repleta, ut ejus quantitas viginti libras facilè excederet, & viscera apparerent, acsi setaceâ crustâ ab extravasata scilicet ac stagnante lymphâ essent obducta. Interea omentum â colluvie illâ putridum & in thorace pulmonum lobi cernebantur pleuræ adnati, quorum dexter

quodammodo corruptus multô minor erat ſiniſtro. Cor autem tanquam alter œdipus perpeſſorum malorum ſcaturiginem docuit, manifeſtando polypum tantum, quantum ſiniſter ejus ventriculus capere poterat, cujus ſubſtantia ceram ſive concretam gelatinam flaveſcentem ſimulabat, qualem quandoque pericardium jugulati bovis continet. Vaſa ſanguifera rore vitali penitus fermè deſtituta incruentæ ſectionis olim â Bilſio celebratæ memoriam revocare videbantur. His perſpectis non potui non, quin crederem, & labores bajulis familiares, qui vires exhauriunt, & prægreſſam febrem quartanam humores viſcidos ſemper præſupponentem & mœrores curasque, quæ ut umbra lucem concomitantur pauperiem, ſubjecti noſtri ſanguinem effeciſſe ſcorbuticum & effœtum, ipſique induxiſſe lentorem, ut ex hâc ſanguinis dyſcraſiâ & pigrius procedente circulo naſceretur ſtagnatio atque polypus. Aliarum polypoſarum concretionum originem hic non attingam, etiamſi circa membranoſas & carneas allegare poſſem ſanguinem pleuriticis & membranoſarum partium inflammatione laborantibus venâ ſectâ miſſum, cujus certè viſcida ac tenax pellicula ejusmodi polyporum naturæ multum accedit. Huc etiam optimè quadraret *Bonetti obſ. 100. in ſepulchreti lib. 2. ſect. 1.* qui 1668. vidit ſanguinem per phlebotomiam emiſſum in Typographi Genevenſis uxore carneam ſubſtantiam acquiſiviſſe ſeroque innatantem, quæ aquæ calidæ immerſa indiſſolubilis permanſit muſculoſæ carni omninô ſimilis. Sed lubet potius noſtri polypi geneſi inhærere, quam omnium optimè me explicaturum ſpero, ſi ſequentia *Loweri* verba in *tractatu de Corde cap. 2. p. 92. ſeq.* mea faciam: *Si Cordis ſyſtole, quâ liquor ſanguinis conquaſſatur usque & ad ventriculorum latera & vaſorum parietes alliditur, diutius elangueſcat, ſuccusque ejus nutritius in partes ſecedere, grumeſcere & gelatinæ in modum incraſſari tandemque intra fibras Cordis hinc inde pendentes implicari*

& ipsis ventriculorum parietibus accrescere & à Cordis æstu indurari incipit, eaque quantitatis mole sæpe numero augetur, ut utramque Cordis cavitatem ferè impleat, motumque ejus multum diminuat.

Restat adhuc, ut sudoris, nimborum instar totum corpus ad ultimum vitæ articulum inundantis, lymphæ in thorace ac abdomine effusæ, diarrhœæ ejusdem indolis lympham ejicientis & duritiei in abdomine notatæ rationem reddam, sepositis reliquis phænomenis, quæ præsente Cordis polypo nunquam non obvia ulteriori scrutinio vix indigent. Medicis itaque principiis maximè consentaneum statuo, quod, remorâ motui sanguinis venosi per polypum injectâ, arteriæ se in venas sanguine stagnante nimium turgescentes liberè exonerare amplius nequeant, ut hâc ratione totius corporis glandulæ sanguiferis vasis interjacentes â sanguine arterioso, quam â venoso in progressu multum impedito infarciantur. Quapropter aliter fieri non potest, quam ut lymphatica hæc secretoria â violento sanguinis appulsu meatus acquirant excernendo humori apertiores, & in eis tanquam in filtris omne serum seu succus nutritius solito abundantius â sanguine secernatur. Cum verò hæ cisternæ tantam lymphæ copiam capere non possint, quid mirum? si per dilatatos poros glandularum, quæ abdomen ac thoracem spectant sub specie hydropis pectoris atque ascitis, quæ in intestinis disseminatæ tanq. in diarrhœa, & quæ miliares corporis peripheriam occupant, uti in sudore Anglico succus nutritius largissimè effundatur, atque venis & arteriis serosâ sanguinis parte tandem spoliatis nil nisi fibrosa remaneat. Illustrat hanc hypothesin experimento sole clariori *Lowerus de Corde c. 2. p. 82.* scilicet, ligavit cani venam cavam & cane mortuo ac dissecto invenit in abdomine magnam seri quantitatem, non aliter, quam si Ascite diu laborasset; ligatis verò jugularibus saliva &

lacrymæ copiosè fluebant, & post mortem tumefactæ partes non sanguine extravasato turgebant, sed omnes musculi & glandulæ sero limpido maximè distentæ & admodum pellucidæ apparebant. Quod duritiem anteà memoratam concernit, eam â spasmodicâ musculorum abdominis atque peritonæi contractione ac crispaturâ originem duxisse mihi videtur probabile, nihil enim ejusd. commatis post mortem se conspectui obtulit præter lympham in abdomine extravasatam, quæ distendendo & quocunque modo peritonæum irritando dolorificæ sensationi & spasmis occasionem præbere potuit.

IV.

Historia & Anatome defuncti ex Polypo arteriæ pulmonali inhærente.

AD abstrusissimas Polyporum technas magis magisque manifestandas è re erit annectere historiam extra Nosocomium à me observatam, quæ quoad Causam morbificam antecedenti similis, quoad reliquas verò circumstantias diversa est.

Concernit hæc Tragædia Virum â teneris annis Castra & Cæsaris & Polon. Regis Augusti sequutum, ætatis 33. ann. temperamenti plethorici, cujus vitæ genus vel me tacente præsupponit varia Bellonæ incommoda sanitati & vitæ insidias struentia, quibus accedebat ultimis annis cum in Poloniâ militiam faceret, vini adusti abusus, endemii instar morbi huic Regioni familiaris. Cum Posnaniâ Vratislaviam aëre vernali pluvioso venire raucâ voce Catarrhum indicabat, de quo tamen parum sollicitus, quoniam absente febre satis benè adhuc se habuit. Verum d. 24. Martii anni 1716. in platea obambulantem ex improviso invasit Asthma convulsivum, quod fauces vehementer constringendo viam præcludebat aëri, faciei colorem

in-

inducebat lividum ac obſcurè nigreſcentem inſtar fune ſuffocati, oculos horridè protrudebat, pulſum intercipiebat, ſudores profuſiſſimè fundebat, ſenſus atque loquelam auferebat, præcordiorum palpitationem provocabat, pedes viciſſim motibus convulſivis infeſtabat, verbo: plenaria ſubſequuta fuiſſet ſuffocatio, niſi venæ ſectione largiter inſtitutâ circulum ſanguinis revocaſſemus. Sublato hoc paroxyſmo reſtabat virium debilitas, difficilior reſpiratio, frequens lymphæ ſpumeſcentis exſpuitio, ſitis intenſior, dolor in pectore ſub dextrâ papillâ & in dorſo circa humeros conſtanter perſeverans, uti etiam durities, quæ propè Cordis ſcrobiculum tactu explorari poterat. Appetitus non multum fuit immutat9, nec alvus officio ſuo deſtituta, lotium autem mox naturaliter tinctum, mox verò, inprimis poſt paroxyſmum, maximè turbidum. Adhibui itaque varia ſpaſmodicis affectibus dicata unà cum Potionibus demulcentibus, & cum binis ſequentibus ſeptimanis iterum hæc ſcena luderetur, conſultum duxi in auxilium vocare applicationem hirudinum ad hæmorrhoidalia vaſa, veſicatoriorum ad ſuras & Cataplaſmatis emollientis ad pectus, quod omnium optimè prodeſſe videbatur. Nihilominus tamen ſtupendi hi Paroxyſmi, qui hactenus hebdomadatim ſævierant, poſtmodum datâ leviſſimâ causâ vel commovendo corpus, vel fortius tuſſiendo, vel deglutiendo incautius, quâlibet die & tandem ſingulis tribus horis recurrebant multò vehementius, ut & Venæ ſectio, ad quam tanquam ad ſacram anchoram confugiebamus, nos deſereret, nec duabus diebus ante obitum ſanguinem daret. In induciis etiamſi breviſſimis non ſatis mirari potui ægri animum fortiſſimum milite dignum ac ſpe plenum de ſanitate recuperandâ, pariterque vires, quæ præſente paroxyſmo quaſi ſepultæ, mox iterum eo ceſſante regenerabantur usque dum d. 24. Aprilis ſuffocatio portam vitæ occluderet.

Cum

Cum circa diagnosin hujus morbi nonnulli varias fovissent opiniones, mox pectoris hydropem, mox vomicam pulmonis accusantes, non potui non, quin cultro anatomico inquirerem, annon polypus, quem semper præsupposui, tanquam anguis sub herbâ lateat, & ecce! nihil præternaturalis constitutionis in hoc cadavere apparuit, nisi pulmones nigricantibus punctis â sanguine stagnante notati, pauca seri in pectoris cavitate & pericardio extravasati quantitas, atque polypus membranaceo-fibrosus arteriam pulmonalem prope dextram Cordis auriculam inhabitans.

Firmo itaque stat talo, polypum modò memoratũ causam fuisse omnium symptomatum & ipsius mortis, impediendo penitus sanguinis progressum ex dextro Cordis thalamo, â quo difficiliori, ne dicam penitus sublato sanguinis cursu & nervorum, asperæ arteriæ membranarumque spastica contractio & seri per glandulas violenta expressio in pericardium atque pectus, quale quid nunquam non in asthmate suffocatis se observasse asserit *Celeberr. F. Hoffmannus in Diss. de generatione mortis in morbis*, ibique sibi associat testes *Pisonium & Baglivium.* Præterea nullus dubito, hujus Polypi natales in dextro cordis ventriculo vel potius intra ejus valvulas quærere, quibus adhuc inhærens non multum molestiarum causa fuit, protrusus verò in angustius habitaculum, intellige arteriam pulmonalem, primordia dedit lethalibus symptomatibus, cujus hypotheseos analysin invenies in *J. D. Goblen tr. germanico de Polypo Cordis ex neglectis hæmorrhoidibus sub schemate Asthmatis convulsivi p. m. 22.*

Duritiem circa cordis scrobiculum annotatam ejusdem originis credo cum illâ, quam in antecedente observatione allegare lubuit.

Hæc scribenti communicatur de Morte *Potentisſimi & Serenisſimi Electoris Palatini* Relatio, quam hîc inserere audeo,

deo, cum Hiſtoriæ polyporum & ſtudio medico poſſit eſſe emolumento, eoque nihil antiquius habere ſciam perilluſtrem Relationis Autorem *Brunnerum*, cujus veniam publicandi vel hoc nomine mihi polliceor. Conſcripta eſt germanico idiomate, quæ Latio donata ſequenti modo ſe habet.

„Sereniſſimus Elector glorioſæ Memoriæ ab aliquot an„nis obnoxius fuit variis iisque periculoſis morbis, inpri„mis an. 1711. prodromis apoplecticis, quos excepit febris „continua alternis diebus paroxyſmo ceu hemitritæo ſti„pata; accedebat poſtmodum inflammatio ac tumor to„tius faciei ad œſophagum & ſuperius ventriculi orifici„um usque pertingens, ſingultusque per biduum ſævi„ens. Sequutus fuit tumor dextræ maxillæ durus, reni„tens cum ſummo dolore inſtar Parotidis, qui ad matu„rationem perductus aperiebatur tandem motus invo„luntarii ſeu convulſivi utriusque pedis, quæ ſympto„mata, licet ſummum vitæ periculum involverent, adeò „feliciter vicit, ut & DEO benedicente ex ardenti Zelo „erga Sac. Cæſ. Majeſtatem iter Francofortum Coronati„onis actui interfuturus ſuſceperit, quod ob continuam „Corporis debilitatem ægrè abſolvit. Altero anno Sere„niſſ. Elector Bensbergi veram patiebatur apoplexiam, ab „ea tamen aſſiſtente Divino Numine quomodocunque „fuit liberatus, excepto ſenſu aliquo moleſtiſſimo inſtar „fortiſſimi fumi ab igne producti nares feriente, quem ſæ„pius etiam fauces, imo & pectus occupantem exſtirpare „non dabatur.

„Præterea per plures annos Sereniſſimo multum negotii „fecerunt Pectoris morbi, utpote difficilis reſpiratio, ca„tarrhi pertinaciſſimi, quibus ſæpius ſputum cruoris ac „phlegmatis ſpiſſioris coagulati fuit conjunctum, poſt „animi aut corporis motus vehementiores, palpitatio cor„dis, aſthma convulſivum, exſpuitio lymphæ ſpume-

„ ſcentis ſanguinis tinctæ cum ſono ſtridulo, id quod poſt
„ ea ſæpius acceſſit, quando Sereniſſimus venando cer-
„ vum ê longinquo animadvertens interficere intendebat.
„ Alias Sereniſſimus ſæpiſſime & fermè quotidie ſputum
„ coagulatum tempore nocturno collectum cum ſtriis
„ ſanguinis excrevit, quandoque conqueſtus fuit de reſpi-
„ ratione difficili in aſcenſu acclivium, atque catarr-
„ his.

„Nunquam Sereniſſimus Elector ratione Pectoris ſe me-
„ lius habere videbatur, quam præterlapſis Menſibus Mar-
„ tio & Aprili, cum reſpiratio ipſi eſſet liberrima etiam aſ-
„ cendendo ſcalas, & ſputum penitus ceſſaret.

„ Præſentis anni primo Maji die cum graviſſimi pectoris
„ affectus graſſarentur, accerſor unà cum ſacerdote, qui
„ Serenitati erat â Confesſionibus R. D. P. Orban horâ pri-
„ mâ nocturnâ ad Sereniſſ. Electorem. Quem inveni
„ prope lectum in ſella ſedentem pectore conſtricto & qua-
„ ſi ſine omni reſpiratione cum ſono ſtridulo, ac exſpui-
„ tione lymphæ ſpumeſcentis ſanguine leviter tinctæ &
„ pulſu vix notabili, extrema erant frigida cum ſuffocati-
„ onis periculò. Sectâ venâ & imperatâ ſummâ animi ac
„ corporis quiete &c. Sereniſſimus videbatur reviviſce-
„ re. Prædictâ horâ ſequentis ac tertiæ noctis redibat pa-
„ roxyſmus aſthmaticus, & quidem remisſiori gradu, ve-
„ hementius verò alterâ nocte. Adhibitis ex communi
„ conſilio nonnullis pilulis, & applicatis veſicatoriis hi
„ paroxyſmi fuêre propulſi, ut Sereniſſimus iterum com-
„ medere, bibere, dormire, menſæ intereſſe, in porticu,
„ obſervato debitè regimine, obambulare valeret.

„Die 20. Maji & ſubſequente nocte hoſtis, novis quaſi
„ recollectis viribus, multò majori vehementiâ invaſit;
„ aderat pulſus celer, frequens, exilis, urina pauca, in-
„ tenſè rubra, inflammata, nec ullus cibi potusve appeti-
„ tus. Cum metueretur inflammatio in pectore, & in

„pri-

„ primo inſultu vix 3. Unciæ ſanguinis ob ſummam viri-
„ um proſtrationem mitterentur, hâc vice ê re eſſe judi-
„ cabatur 6. vel 7. ſanguinis uncias detrahere, ex quo qui-
„ dem hic paroxyſmus mitior factus, ſequenti verò nocte
„ ac poſtea tres vehementisſimi ſupervenerunt.

„Equidem in uſum vocabantur priſtina eaque quondam
„ ſalutaria remedia, ſed non cũ eodem ọptato effectu, ſiqui-
„ dem aſthma hactenus periodicum degeneravit in continu
„ um tanto cum cruciatu, ut Serenisſimus noctu diuque ob
„ ſuffocationis metum lectum relinquere, continuo in ſel-
„ lâ permanere cogeretur & difficillimè ſpiritum trahe-
„ ret. In his rerum circumſtantiis tumor, qui ante ali-
„ quot annos in pedibus occurrerat, denuò emerſit ad
„ abdomen usque ſe extendens, inprimis in dextro pede;
„ pulſus obſervabatur in horas, quin in momenta debilior
„ urina flammea diminuebatur; aderat ſingultus cum fe-
„ bre continuâ, ut exinde decreſcentibus viribus præcor-
„ diorum ac pectoris anguſtia evidenter augmenta ſume-
„ ret, donec ſupremum Numen Serenisſimum Electo-
„ rem die 8. Junii manè ante ſeptimam horam ſenſibus
„ integerrimis ex ſtatu hoc miſerrimo & adſtantibus lu-
„ ctuoſisſimo per beatam mortem ad ſempiterna gaudia
„ transferret.

„Juſſu ſuperiorum d. 9. Junii Pollincturæ manus admo-
„ vebantur. Apparuit facies hippocratica & pallida, re-
„ liquum corpus ſatis naturaliter conſtitutum, pedes maxi-
„ me tumentes ad abdomen usque, eorumque cuticula
„ hinc inde ſeparata ibi ſero madebant, quod copioſè pro-
„ manans magnâ quantitate ſubſtrata linteamina imbibe-
„ rat; in ſpina dorſi notabatur ſugillatio moribundis nun-
„ quam non familiaris.

„ Aperto â Proſectore Pectore inſimul atque abdomine,
„ in illius latere dextro novem, & in ſiniſtro ſeptem un-
„ ciæ ſeri turbidi extravaſati fuêre inventæ; pulmones co-

 „loris

„ loris erant fuſco-nigricantis non citra inflammationis „ ſigna. His luſtratis ſuperius verſus claviculam ſiniſtram „ pariter atque dextram in conſpectum veniebat notabi- „ lis inflammatio. Pleura forſan ex magnâ reſpirandi „ contentione â coſtis, inprimis ſupra muſculos interco- „ ſtales quaſi avulſa & hinc inde flatibus diſtenta erat. „ Stomachus circa inferius & ſuperius orificium valdè ob- „ ſervabatur inflammatus, hepar autem, lien & renes „ absque omni labe. Veſicula fellis continebat calculum „ oblongum, aſperum ponderis ʒiß. In inteſtinis nullum „ occurrit vitium, nec in abdomine ſerum extravaſatum, „ in corde verò *duo* fuêre *Polypi* unà cum ſanguine nigro „ coagulato. Remoto cranio apparuêre in corpore fal- „ ciformi nonnulla oſsicula oblonga cuſpidata & in utro- „ que cerebri ventriculo lympha copioſa limpidisſima, re- „ liqua cerebri ſubſtantia erat firma, nitida. De cætero „ in corpore pinguedo ubique obſervabatur. Duſſeldor- „ pi d. 10. Jun. 1716.

Brunnerus.

V.

Hiſtoria Anaſarcæ per exanthemata criticè ſublatæ.

QUem morborum genealogiam perſcrutari non piget, ille haud rarò inveniet natales eorum ab aliis diverſi generis morbis repetendos. Quotidiana enim experientia confirmat, paralyſin quandoque ſuccedere epilepſiæ & colicæ pasſioni, melancholiam manicæ, phthiſin aut empyema hæmoptyſi, pleuritidi ac peripnevmoniæ, hydropem pectoris aſthmati, pasſionem hypochondriacam ac hyſtericam febribus intermittentibus, diarrhœæ atque dyſenteriæ, iſchuriam, ſtranguriam & ipſisſimam luem veneream gonorrhœæ, pedum œdemata, cachexiam, anaſar-

ſarcam ac aſcitem Hæmorrhagiis, febribus inprimis quartanis, omnibusque gravioribus morbis, quorum autem & ſimilium ſucceſſionum Catalogum conſcribere hujus loci non eſt. Incumbit tamen quam maximè prudenti Medico, ut in indolem hujus mutationis, dum morbus in alium morbum convertitur, ſollicitè inquirat, & ex Artis fundamentis judicet, an ſub tali metamorphoſi criſis, quæ *Galeno in Comment. de Vict. acut. 11. 15.* perfecta liberatio dicitur, lateat. Liberatur certè æger ab antecedentibus malis, dum *natura,* ut cum *Baglivio l. 1. Prax. Medicæ p. m. 67.* loquar, *ſui conſcia, criſes moliendo magis proficit, quam Medicus ſuis remediis.* Expellit hoſtem oportuno tempore & per loca morbi genio accommodata, ſuisque miniſtris viam digito quaſi monſtrat, quam ſequi debent. Quis enim Medicorum neſcit morbos ſublatos per ſpontaneam & criticam diarrhœam, alios per diureſin, multos per largam diaphoreſin ac diverſa exanthemata, & nemini, juxta *J. A. van der Linden in ſelect. Medic. Exerc. 15. p. 693.* criſin obtingere, niſi ejectâ materiâ, quæ fomes erat morbi. Sic hoc anno quartanas febres, quæ Medicis multum negotii fecerunt, ſæpius ſpontè ſuperveniens ſcabies, me ſpectatore, delevit, & dum hæc ſcribo, Zythopolæ M.S. Medicinam facio, quem â catarrho ſuffocativo Podagra, ab hâc ſquamoſa exanthemata cum ſummo pruritu totum corpus occupantia liberarunt & integræ ſanitati reſtituerunt. Nec deſunt, fateor, nonnulla exempla, quæ varios motus criticos enumerant, quibus ejectus fuit, qui creſcit indulgens ſibi dirus Hydrops. Exhibent noſtræ *Ephemerides Dec. 1. an. 8. obſ. 73.* Adoleſcentem Anaſarcâ correptum per 5. magnos abſceſſus ſpontè prorumpentes ſanatum, *Dec. 2. an. 8. obſ. 70.* Aſciticum & œdemate laborantem ex abſceſſu in ſcroto reſtitutum, *Dec. 1. a. 3. obſ. 339.* Hydropicum, cui ulcera in cruribus orta, ex quibus magna aquæ copia effluxit, ſalutem attulerunt, & celeberrimus

Bartholinus in Hiſt. Anat. Cent. 3. Hiſt. 23. mentionem injecit famuli 20. ann. cui ſudore ſpontaneo hydrops detumuit.

Operæ tamen pretium erit ex Noſocomii noſtri civibus Juvenem *Heinricum Bluſga* 19. ann. in ſcenam producere, qui perfecte ſanus d. 10. Mart. a. 1716. latrantem ſtomachum pane recenter piſto & adhuc calente obruendo ac frigidam aquam ſuperbibendo ſenſit, ſequenti nocte faciem ventremque tumidum. Urgenti huic ſymptomati venæ ſectione occurrere ſatagens, quam etiam d. 11. ejuſd. Menſ. in brachio inſtituit, incurrebat anaſarcam ſeu leucophlegmatiam. Acceſſit difficilis reſpiratio, quæ ſuffocationem minabatur, nauſea ciborum & lymphæ fluxus ex pedum horridè tumentium peripheria; urina verò non multum â naturali conſiſtentiâ ac colore deflectebat. Sub hâc larvâ intrabat charitatis hoſpitium d. 14. Martii, exceptus â me medicamentis anticachecticis, aperitivis, diureticis ac corroborantibus. Ex his inprimis maximarum virtutum expertus fui pilulas polychreſtas Beccheri quolibet mane ad ℈j. ſalia digeſtiva horis pomeridianis ac veſpertinis in decocto trifolii fibr. exhibita, quorum energiæ merito adſcribo, quod die 20. prædicti menſis vix veſtigia amplius proſtarent de hydrope, ceſſantibus inſimul reliquis morbi ſymptomatibus. Sed ecce, aliam induerat faciem hoſtis ab antiſcorbuticis profligatus, nondum verò penitus victus. Decreſcente tumore hydropico efflo reſcebant exanthemata ſub ſpecie puſtularum, ſeu ulcuſculorum cutem, inprimis manuum, defœdantia, quæ unicè pruritu moleſta d. 30. exſiccabantur & ſexto Aprilis decidebant. His obſervatis puſtulis, quæ diſcretas infantum variolas adæquabant, naturæ in criſi adjumento eſſe intendi cum expellentibus antiſcorbuticis, qualia cenſentur Eſſ. anticachect. cum ℞ ♁ij. ☿ſ. & ex pulveribus fl. ♀ris, ♁ diaphor. pul. viperar. ⊖ nat. haud ſepoſito

trifo-


ad Hist. 6.
A



trifolii fibrini decocto. Nec spe fui frustratus, integerrimè enim sanum dimisi d. 7. Apr. qui antea censebatur morti proximus ob gravem morbum, quem secundum *Divi Coi* effatum *de inter. affect. sect.* 27. pauci effugiunt.

Verum culpabilis arrogantiæ reus essem, si meis viribus felicem hunc eventum unicè adscriberem, cum, uti superius ingenuè monui, crisis talis utplurimum Naturæ opus sit, quod medicum cautè promovere, & nunquam perturbare decet. Itaque potius persuasus sum, quod notabilis diætæ error, & præposterè administrata venæ sectio humoribus irregularem ac vitiatum motum ac cacochymiam impresserint, hincque ansa data fuerit extravasationi lymphæ intra musculos stagnantis, quæ tandem â vigore & robore naturæ ad glandulas subcutaneas delata, tanquam spissior formavit pustulas suppurantes. Nec ullus facilè mirabitur, quod intra tam breve temporis spatium tanta in corpore alias sano producere potuerit mala panis recens pistus ac frigidæ haustus, qui sibi in animum revocat quotidiana exempla puellarum ab esu ejusmodi panis menstrui fluxus obstructione & chlorosi affectarum. Intumescit certè in ventriculo hæc ad digestionem inepta moles instar spongiæ, adeò, ut distendendo, obstruendo, condensando humorum secretioni obicem ponat, & promoveat violentam seri expressionem ad partes fibrosas. Accessit incongrua venæ sectio, quæ in quolibet hydrope non potest non accelerare progressum.

VI.

Historia febris quartanæ abdominis tumore & diarrhœâ sublatæ.

CRiseos studio, quod cuilibet medico curæ cordique esse debet, intentus, febrem quartanam rarâ crisi sublatam adhuc in medium proferre lubet. Superius quidem

dem innui, me in ſcabie felicem quartanarũ finem aliquoties obſervaſſe, qualem etiam *T. Bartholinus* ex propriâ Praxi, & ex *Platero*, *Ballonio*, *Sylvatico in Hiſt. anat. Cent. IV. hiſt. 35.* annotavit. Haut tamen recordor tumoris cum Diarrhœâ, qui modò dicto affectui pertinacisſimo medelam attulit, cum notatu eò dignior, quò periculoſiores alias tumores quartanæ febri ſupervenientes cenſentur, & in *Boneti Sepulchreto lib. 1. de ventris tumoribus* infauſto comprobantur exemplo. Contigerunt benigniora fata Juveni Coactiliario *Johanni Chriſtophoro Heinrich*, qui a. 1715. d. 14. Septemb. febre quartanâ correptus d. 28. ejusd. Menſis Noſodochium petiit. Febris mox relinquebat ægrum, ut ab eâ ad ſextum usque octobris penitus liber eſſet, quo die redibat more conſueto. Datis evacuantibus & ſalinis corrigentibus chinata tandem ſuperaddidi, quæ verò virtute ſuâ adſtrictoriâ non impediverunt, quo minus d 14. ejuſd. menſis ſe aſſociaret Diarrhœa intra biduum ultra 90. alvi dejectiones cauſans. Eodem tempore, quod mireris, abdomen ad ſiniſtrum lineæ candidæ latus tumorem farcminis inſtar portentoſum, duritie ac intenſisſimo dolore notabilem conſpectui dedit, qui, prout ſchema monſtrat, juxta muſculi recti ejuſdem lateris ductum protendebatur. Aderat inſimul æſtus ac ſitis maxima, vigiliæ, tantaque virium poſtratio, ut ſe in lecto erigere non valeret. Hæc ſymptomata me induxerunt ad celebrandam venæ ſectionem, ex qua ſanguinem collegi purulentum, qui coagulatus tegebatur cuticulâ diverſi coloris tenacisſima, ut cultri aciem eluderet, qualis pleuriticorum ac membranoſarum tendinoſarumque partium inflammatione laborantium eſſe ſolet. Interno uſui deſtinabatur decoctum ex herbis & radicibus reſolventibus, quas inter primas tenebat radix rubiæ tinctorum pro hoc ſcopo nunquam ſatis laudanda. Hoc interdiu calidè propinato haud neglexi circa veſperam pulverem contra caſum Aug. ♁ diaphoretico

tico mixtum in aqua herb. chærefolii exhibere. Externe voto correſpondebat cataplaſma ex reſolv. emollient. & carminativis ſpeciebus tumori ſæpius applicatum. His armis cedebat & tumor, & Diarrhœa, quam ut ſymptomaticam conſiderari, & reliqua mala, ut die 17. Octobris nullum alicujus morbi indicium ſupereſſet, niſi præternaturale lotium, albicans ſcilicet & craſſum. Paulò poſt de viſu obſcuro ſiniſtri oculi, quaſi nube obducti conquerebatur, cui veſicatorium nuchæ impoſitum auxilio fuit. Reliquit tandem Lares noſtros d. 28. Octob. perfectè ſanus atque incolumis.

Si hîc ſuſpicioni locus eſſet, ſtatuerem, cauſam febris quartanæ materialem, quæ in lymphæ lentore conſiſtit, ad Pancreas, omentum ac inteſtinorum glandulas translatam, ibidem excitaſſe quaſi apoſthemata, quæ exterius tumorem repræſentarunt, & per inteſtinalem fiſtulam, non minus quam per urinarias vias exitum invenerunt, ut hâc ratione ſublatâ per corporis excretoria causâ tolleretur effectus; ſcilicet Febris quartana. Nemini hoc mirum videbitur, quem mirandæ corporis metaſtaſes â capite ſæpius ad calcem factæ, quarum viam vix ſenſu concipere poſſumus, non latent.

VII.

Hiſtoria Cataleptici ſanati.

CUm celeberrimus Medicæ Praxeos Anteceſſor *H. ab Heer* non mille Catalepticos, ex quo morborum cohors terris incubuit, *in obſerv. rarior. lib. 1. obſ. 3.* ſtatuat; Ipſeque *Ogerus* ſexaginta annorum Practicus ingenuè fateatur, ſe nullum præter unicum vidiſſe, non morabor meam de rarisſimo hoc affectu experientiam publici juris facere. Invenies quidem ab *Illuſtri Franco â Franckenau in Ejus notis ad P. Zacchiæ Quæſt. medico legales lib. 2. tit. 1. quæſt.*

 15 p.m.

15. p.m.187. consignatum satis prolixum Catalogum Autorum, qui in describendâ hujus morbi historiâ desudarunt; sed ex judicio prælaudati magni nostræ Reipublicæ syderis *eum forte viderunt nunquam, sed aliorum fide nituntur, alii etiam tam temerarii sunt, ut fingant.*

Hujus suspicionis culpam certè non incurram, quoniam mecum plures admirati fuêre mira catalepseos symptomata, quæ in nosocomio nostro conspicienda obtulit *A. P.* ætat. circiter 40. an. ære alieno obrutus Halberstadio Vratislaviam veniens. Tenebris libenter involverem hæc sinistræ fortunæ fata, nisi in enucleandâ causâ occasionali utramque facerent paginam, & in animi pathematibus, quæ inter primas tenet ira, mœrorque, utplurimum fons ac origo totius mali consistat. Salutavit lares nostros d. 29. Julii a. 1715. febre tertianâ correptus, quæ trium horarum frigore quemlibet paroxysmum inchoans mox per septimanam plenarias concedebat inducias, octavo verò Augusti die Febris continuæ atque malignæ sævitiam in continuo ac intensissimo æstu, deliriis, omnimoda virium prostratione, linguâ siccissimâ ac asperâ &c. repræsentabat. Eo tempore, scilicet per 10. dies ne micam quidem ciborum assumsit, vixque persuaderi potuit ad bibendas aliquot ptisanæ guttas, nec mucilaginem ad humectandas fauces admisit, nisi violento modo aperiretur os. Cum fermè omnia censerentur deplorata, longè crudelior adhuc hostis d. 18. ejusd. mensis ægrum aggressus fuit, quem hoc 17. Praxeos meæ clinicæ anno primâ vice sub sequenti forma cognoscere contigit. Expansis brachiis curibusq; quasi fulmine tactum aut gelu rigidum sine omni motu ac sensu situ supino jacentem in lecto vidi, cujus os firmiter erat clausum, oculi aperti pariterque immoti. Jurasses hunc hominem transmutatum fuisse in statuam ex marpesiâ caute attonito vultu sculptam, facilius enim commovisses hujus partes, quam nostri catocho prehensi caput aut re-

liqua membra. Non diffiteor hunc aſpectum ſæpius mihi in mentem revocaſſe Lothi uxorem in ſalinam ſtatuam converſam, cujus metamorphoſin *Bartholinus de morb. bibl. c.3. p. 5.* adſcribit ſali ex corpore in ſuperficie ejus ſe coagulanti, eodem modo ac bilis in ictericorum corporum ſuperficie reſtagnare ſolet, & ſulphureo fumo ab eâ ore fecieque ad urbem conversâ ex Sodomâ ardente excepto, qualis fumus ad enecandum ſufficit. Si in Theologorum campis exſpatiari licitum eſſet, vix dubitarem aſſerere aliquid cataleptici hîc latuiſſe, cum & metus, terror ac vehementes animi commotiones ut cauſæ occaſionales procul dubio præceſſerunt. Nec deſunt obſervationes fide digniſſimorum virorum, ex quibus multum lucis miracuoſo huic caſui affulget: Sic *P. Zacchias in Quæſt. medico-leg. ex Cardano* allegat octo meſſores in Inſulâ Lemno ſub querco cœnantes, qui ſub eâ ſpecie, quâ diſcubuerant, rigidi permanſerunt, ita ut unus commedere, alter ori poculum manu admovere, alius bibere videretur, cumque omnes nigri eſſent, imaginem totidem ſtatuarum repræſentarunt. *Buchananus lib. 6. de rebus ſcotic.* aliquem producit, qui in mediis ſcalis, quas aſcendebat, ſubitò ſtupore correptus, ita gradibus adhæſit, ut nec ullâ ratione divelli potuerit, & viam ſequentibus præcluſerit. Inprimis huc quadrare cenſeo catalepſin ſtatariam, cujus Magnificus *J. M. Fehr in Ephem. Dec. 2. a. 1. obſ. 1.* meminit. Vidit ſcilicet puellam 15. annorum, quæ ſæpius de die inter eundum in mediâ viâ inſtar mercurialis ſtatuæ conſiſtebat, oculis apertis non videbat, non audiebat inclamata, nec ſe loco movebat, nec unquam cadebat etiam graviter onerata, nec onus depoſuit aut projecit. Sed ne extra oleas vagari videar, de meo cataleptico adhuc mihi annotandum reſtat, ſimilem paroxyſmum primâ ſeptimanâ per duas duraſſe horas & intra 24. horarum ſpatium vel ſepties recurriſſe. Poſtquam verò capitis vertici applica-

re jussi bufones in pulverem redactos & mediante bombyce sacculo interpassato inclusos, nec tam diu persistebat, nec tam sæpè recurrebat paroxysmus, quem tandem post 14. dies (non neglectis antispasmodicis, liquore Cc. succinato, castor. &c.) penitus suffocavi vesicatoriis fortissimis nuchæ, suris, brachiisque impositis, in quibus DEO adsistente totius curæ cardo videbatur consistere. Quoties finiebatur congelationis hujus insultus, toties cum pulsu debili tanta aderat virium debilitas, ut vix loqui potuerit, quam adhuc augebat profusissimus sudor, nunquam non succedaneus nervorum structuris. Præterea perpessorum non recordabatur, alvus semper provocanda fuit clysmatibus, quæ tamen ne per momentum quidem retinere poterat, lotium verò involuntariè minxit, excepto paroxysmi tempore, quo & hujus profluvium plenarie intercipiebatur.

Si itaque hanc observationem cum aliis catalepsin concernentibus conferamus, eam juxta *Galeni in prorrh. c. 10.* distinctionem non mitioribus, in quibus immobiles quidem manent, vident tamen, audiunt & recordantur, quæ acta sunt, sed vehementibus, ubi nec sentiunt, nec moventur, & totum corpus habent distentum ac instar ligni rigidum & rectrices etiam actiones habent læsas, illæsâ solum respiratione, annumerandam esse, quis dubitaret? Non minus extra dubium positum est, in systemate nervoso ejusque contentis, quæ vel sub succi, vel spirituum, vel archæi idæâ Tibi fingas, quærendam hujus morbi causam, quam, si altius adhuc repetere lubet, etiam in ipso cerebro siccissimo, duro &c. cum *H. ab Heer* cataleptici cerebrum investigante invenies. Quapropter etiam cura eò directa, ut principium movens per revellentia, excitantia &c. admoneatur sui officii, ipsique reddantur viæ patulæ, successu non caruit, & exceptionem concessit *J. Schenckii Prognosticum lib. 1. obs. med. p. m. 71.* statutum:

Ne-

Neminem certè liberatum novimus, cui secundò catochus supervenit.

VIII.

Historia & Anatome demortui ex ani fistulâ.

FIstula ani nunquam credo magis exercuit Medicorum pariter atque Chirurgorum ingenium, quam quidem anno præterlapsi seculi 86. cum Galliarum Rex Ludovicus XIV. eâ corriperetur. Discimus enim ex Dionis Cours d'Operations de Chirurgie 4. demonstr. f. 288. seq. Regis mandato multos tali fistulâ laborantes fuisse convocatos, ut diversa experimenta fierent, permansisse autem verissimum *Divi Coi de fistulis c. 1. t. 24.* dicterium: *Sanus non fit, si non secetur.* Hinc etiam commotus Rex operationem cum cultro, qui incurvatus anterius globulo munitus est, hodieque adhuc l'instrument royal audit, die 21. Novemb. sequentis anni heroico planè animo sustinuit & ex voto sanitati fuit restitutus. Hæc cura eò gloriosor est, quò splendidiora largiebatur sostra Rex regiâ liberalitate celebratissimus, dando nimirum chirurgis Felix & Bessieres illi 50000. Imperiales, huic 40000. gallcos florenos, Medicis Daquin 100000. & Fagon 80000. cuilibet Pharmacopœorum, quorum quatuor erant præsentes, 12000. florenos gallicos & chirurgi Felix discipulo 400. aureos nummos gallicos (Louis d'or.) Sed hæc in parenthesi dicta sunto, cum hûc non spectent, nec ad alios spectare videantur, nisi ad Ludovicos, de quibus hujus nominis XI. simile liberalitatis regiæ specimen exhibuisse in Sorberianis p. 94. legimus, utpote qui Medicum Cortier 54000. Imperialibus & Episcopatu muneravit, postquam ipsi per quinque menses medicinam fecerat in morbo, quo moriebatur. Dantur verò ani fistulæ, quæ illudunt manualis operationis auxilium, & *dum pus intro effundunt,*

 ut

ut cum *Hippocrate sect. 2. Coac. c. 11. §. 8.* loquar, *tabe enecant*, quarum classi sequentem annumero.

Johannes Castner 56. annor. Vir Serenissimo supremo ordinis Teutonici Magistro à Satellitio sub initium Augusti a. 1715. se fluxui hæmorrhoidali obnoxium sentiebat, qui quotidiè recurrens ob debilitatem indies ingravescentem mense octob. ægrum lecto affixit. Notaverat eo tempore corporis contabescentiam ac in testino recto dolorem urentem, nec alvus erat aperta, nisi foliis sennæ dolorificè provocarentur fæces induratæ sanguineque tinctæ. Appetebat interim cibum magis quam potum. Cessante demum in Januario sequentis anni fluxu hæmorrhoidali, de dolore circa regionem ossis sacri conquestus fuit maximo, quo commotus d. 1. Februarii nostrum imploravit Patrocinium. Cum perlustraretur exterius pars affectat ria in conspectum venerunt tubercula sphincterem ani occupantia, quorum maximum nucis moschatæ magnitudinem adæquabat, nullique deerat cruciatus, acsi inhærerent carbones candentes. Melior verò affulsit spes sublato dolore circa sphincterem per mucilaginem ex sem. cydon. psyll. saccharoque saturni, & circa lumbos per hirudines hœmorrhoidalibus vasis ad sugendum applicatos, quibus forsan adjumento fuêre medicamenta ex millefolio propinata. Reliquerat lectum usque ad 21. Februarii; accedens verò sudor nocturnus nimium debilitans, obstipata alvus, quæ tandem clysmate aperta primum scybala, postmodum mucum sanguine interspersum dabat, circa umbilicum murmura ac sonitus acsi aqua ebulliret, cum dolore ibidem furente iterum eum prosternebant. Cum igitur ê re esse judicarem, ut de scaturigine mali indagandâ magis solliciti essemus, speculi animentionem injeci, ægrique animum sæpius spe, quam in exploratoriam hanc machinam ponere deberet, erexi. Sed ecce! speculum sibi imaginatus visui non tactui accommoda-

modatum lepidè erroris nos arguit, dum pſeudo-ſpeculi ferrei uſum experiebatur, quod noſtris oculis obtulit inteſtinum rectum prædicto muco adhuc oblinitum, nullibi apparente fiſtulæ veſtigio. Protractâ hâc mucilagine dolor & ebullitionis murmura ceſſabant, ſeque melius habebat tam diu, quam diu ab hoc phlegmate liberatum erat inteſtinum; hoc enim ſuccesſivè ibidem collecto iterum priſtina cantilena ac querulæ voces audiebantur. Interim de ulcere ibidem latente non dubitans injectiones more clyſmatum fieri curavi mox ex mucilaginibus ſem. pſyll. cydon. cum melle roſato & unguento digeſtivo, mox ex decocto hordei cum terebinth. & melle roſato, hisque nihil proficientibus ano ſuppoſitorium ex vitello ovorum & balſamo peruviano intrudebatur, ſacculique ex ſpeciebus carminativis vino decocti imponebantur abdomini, ſed pariter fruſtra. Nec majus emolumentum emergebat ex curâ ranarum juſculis inſtituta, quam ut ſummam humorum dyſcraſiam corrigens mihi multis encomiis deprædicavit Exellentiſſimus Cracovienſium Practicus D. Bonfigli, tabeque ac hæmoptyſi conſumtæ conjugi ſuæ præter omnium ſpem unicè conduxiſſe aſſeruit, cujus etiam therapia in Phthiſi, Tabe, catarrhis ſalſis &c. me judice non ê longinquo petenda eſt, quoniam conſtat, ranas inſigni dulcificandi, demulcendi, humectandi virtute pollere. Forſan non ingratum erit Artis Tyronibus, ſi utiliſſimæ hujus curæ illi, quæ cum viperis nimis carò venicentibus inſtituitur, ſuccedaneæ methodum obiter delineam. Sumuntur ſcilicet quindecim vel plures ranæ, quæ detractâ pelle & ſepoſitis anterioribus partibus aquæ fontanæ ſæpius recenter affundendæ immerguntur, usque dum albiſſimum acquirunt colorem. Hæ poſtmodum hoc modo omnibus ſordibus mundatæ cum aquæ deſtillatæ morbo appropriatæ librâ unâ in Mariæ balneo coquuntur, juſculumque inde emergens

gens calidè ebibitur, quale per integros 40. dies quotidiè matutinis horis repetendum eſt. Lubet nonnullis flores v. g. violarum, bellidis &c. addere, ut ſimul decoquantur, id quod cujuslibet arbitrio relictum manet. Sed ad ægrum meum revertar, de quo notandum habeo, quod d. 3. Martii vicies dejecerit alvum, excernendo mucum ſanguine intermixtum, quo tempore ardor ac murmura ceſſabant, debilitas autem incrementa ſumſit. D. 6. invadebat horror diu continuans, quem excepit febrilis æſtus intenſiſſimus, rediens d. 14. cum fluxu alvi quaſi purulento & tantâ virium proſtratione, ut in deliquio conſtitutus miſerrimus vix pulsûs indicia exhiberet. Die 15. de maximo pruritu in inteſtino recto & d. 16. de reſpiratione difficillimâ conquerebatur. Cum in evacuatione muci illius purulenti, qui in inteſtinis colligebatur, multum levaminis conſiſteret, ad eam facilitandam die 17. ano intruſa fuit fiſtula plumbea, quæ & penicillum admiſit, cujus ope commodius partes hæ inungebantur. Conceſſo itaque materiæ exitu liberiori liberior erat reſpiratio, quotidiè tamen obſervabatur calor hecticis proprius. Die 20. apparuerunt in orificio inteſtini recti ſeptem tubercula, quæ d. 5. Aprilis ſpontè rumpentia ſteatomatoſam materiam inſtar milii cum ſummo fœtore effuderunt. Tunc temporis ceſſabat dolor, reſpirabat melius & cibum appetebat, aberat verò ſomnus & poſt paſtum inſolitus æſtus regionem umbilicalem occupabat, cui dolor die 25. iterum junctus omnia mutavit in pejus. Sudor nocturnus ſubinde moleſtans d. 11. Maji copioſisſimus erat, & murmura dolorifica circa umbilicum, acſi aqua vehementer commoveretur, aucta, pariterque diarrhœa, quæ intra 24. horas 50. vicibus ejecit phlegma fuſci coloris maximè fœtens. Reſpiratio ſatis libera ſuppreſſo alvi fluxu mox fuit facta difficilis ſtipata præcordiorum anguſtiis, quibus die 29. vomendi conatus, die 7. Junii ſchuria & tandem 26. ipſa

mors

Mors ſupervenit. Aliquot ante obitum dies notatu dignum cenſui pulſum dextri carpi inſtar granorum ex plumbo procedentem, procul dubio ob ſpaſmodicas arteriæ conſtrictiones, acceſſit etiam ædomatoſus in dextro pedo & ſiniſtrâ manu tumor, motus oris convulſivi, oculi dextri illachrymatio, cum ſiniſtrum claudere nequiret.

De ulceris latentis præſentiâ quidem certus & memor definitionis, quâ *T. Paracelſ. in Chirurg. min. lib. 1. c. 17.* fiſtulam exprimit, videlicet, ubi vulnus concluditur ſuperius excepto foramine parvo, ſed inferius omnino pravum exiſtivt, nihilominus mihi minimè potui temporare, quin in demortuo cadavere quærerem fiſtuloſi ulceris oſtium, quod in vivente nullibi invenire licuit. Cultrum itaque anatomicum primum direxi ad inteſtinum rectum, quod exterius præter vaſa ſanguifera quodammodo intumeſcentia nihil monſtrabat inſoliti, & lynceis opus erat oculis, ſi intra canalem quærere velles fiſtulæ introitum, adeò anguſtum apparebat foraminulum poſt ſphincterem vix notabile. Sed ſi unquam, certè hîc parva fuerunt magnorum morborum initia; duxerunt enim me ad ulcus aſpectu horridum & adeò vaſtum, ut verſus inferiora omnes dextri clunis muſculos glutæos, verſus ſuperiora verò eos, qui os coccygis & ſacrum attingunt, penitus conſumſerit, ac in pus converterit, quod, remotis inteſtinis cum veſicâ urinariâ, totam cavitatem, quam oſſa innominata conſtituunt, implebat. Oſſa in pure quaſi nutantia carie erant infecta, unde & hîc locum habuit *J. Vigierii lib. 3. cap. 56.* Prognoſticum: *Si vertebræ carie obſeſſæ ſint, curatio prorſus impoſſibilis erit, ægerque tabidus & maraſmodes morietur.* Reliqua abdominis viſcera nihil præternaturalis alebant, exceptis renibus ſebaceam materiam in utroque pelvi continentibus. In thorace pulmones ſteatomata ac calciformia tubercula exhibuerunt, to-

tum verò cadaver adeò erat emaciatum, ut ſceletum cute obtectum repræſentaret.

Qui plura fiſtularum â ſuppreſſo hæmorrhoidum fluxu (quale quid hîc meritô auguror) originem ducentium exempla noſcere cupit, illum non pœnitere poterit, ſi evolvat Magnifici noſtri Præſidis *Schrœckii ſcholium ad obſ. 42. a. 1. Dec. 2. Ephem. Nat. Curioſ.* nec mihi deeſſent, quæ clinica Praxis obtulit, ſi temporis & loci ratio eorum enarrationem permitteret. Verbo ſaltem unius mentionem colophonis loco facere liceat, qui non infimæ ſortis vir aulicus ex fluentibus hæmorrhoidibus cœcas, ex cœcis fiſtulam nactus eum per decennium & ad præſens usque tempus, quantum ſcio, pus plorantem habet. Quinquennium eſt, & quod excurrit, cum dolores capitis ſentiret atroces, horumque de causâ meum poſtularet conſilium, quærens: an cura ſalivatoria ipſi in Cephalalgiâ hâc ſit profuturâ? Diu ſuſpendi meam ſententiam, tandem verò mecum reputans, ancipitem caſum anceps concedere remedinm, & in attennandâ purificandaque lymphâ hîc pure infectâ ac ex fiſtulâ per circulationem ſucceſſivè ad cerebrum delatâ, non inveniri efficacius remedium mercurio, conſenſum præbui; & ecce, legitimè adminiſtratâ per mercurium dulcem ſalivationis curâ, dolenti capiti medelam ex voto præſtitit, fiſtula interim in eodem ſtatu permanente. Hanc ab antecedenti obſervatione haud alienam eſſe, exinde mihi perſuadeo, cum fiſtulæ ſymptoma concernat, cujus cura eò notabilior, quò rarius occurrit in obſervatorum ſcriptis.

IX.

Hiſtoria ulcere cruris cacoetheo ultra 16. annos occultè ſerpente demortui.

ULcera aperta ſæpius fonticulorum vices ſupplent, cum per ea tanquam per cloacam multa corporis excrementa

menta excernantur, & ubique proſtant hiſtoriæ eorum, qui, tametſi ulcera etiam ani fiſtuloſa, qualia *Schenckius ex H. Fabricii Pentateuchi Chirurg. l. 3. c. 11.* citat, per multos annos geſtaverint, ſaluberimè vixerunt. Aliter verò ſe res habet cum occultis, utpote quorum ſanies longè lateque in ſibi obvias partes fibroſas, tendinoſas, vaſa & ipſa oſſa ſævit, eas penitus deſtruendo, ac in cadaveroſam putredinem convertendo. Nec remotiſſimæ corporis partes â tali ulcere immunes permanent, quoniam hæc corruptionis ſemina cum ſanguine & ſero ulcus alluente per univerſam corporis machinam citò diſperguntur, ſuâque virulentiâ ipſa viſcera inficiunt, ut tandem Tabes neceſſario ſubſequatur.

Cum itaque hæc ſole meridiano clariora ſint, non poſſum non, quin inter rariora ulcus *Johannis Georgii Alexandri* ſartoris, per ſedecim annos in dextro femore occultè ſerpens, numerem. Hic adhuc puer ſentiebat ibidem dolorem, & paulò poſt nonnullæ oſſis particulæ cum ſanie ſibi exterius viam fecerunt patulam, ex quo ſimplex homo veneficium fuit ſuſpicatus. Mox verò conſolidatum non amplius attendebatur, quoniam omnis dolor, ſi levem aliquem tempeſtatum mutatione utcunque notabilem excipias, inſimul evanuit. Verum cum fœnore ulceris phagedæni ſymptomata a. 1714. ſe manifeſtarunt, etenim præter dolorem nocturno inprimis tempore lancinantem atque atrociter pungentem, gravativus circa hepatis regionem maximè erat moleſtus. Nihilominus durâ paupertate coactus labores ſuos continuabat miſerrimus usque ad 15. Junii a. 1715. quo die ſe lecto addixit, cum ambulare amplius non valeret. Hactenus nullum ulceris indicium apparuerat exterius, die autem 19. prædicti menſis in parte affectâ notabatur tumor indies cum dolore & corporis atrophiâ augmenta ſumens. Cruciatuum impatiens d. 7. Julii vetulæ cuidam facultatem con-

 ceſſit

ceſſit perforandi cum acu tumorem, ſed ob viæ anguſtiam vix puris aliquid profluere potuerat, adminiculo autem fuit naturæ, ut ſpontè amplificando oſtium ſe poſt aliquot dies exoneraret abundantius. Translatus in Noſocomium die 25. Julii Domino Chirurgo Rev. F. Coſmæ in examen tradebatur, qui explorandi ſinus, invenit verſus poplitem ſaccum materiâ purulentâ onuſtum & tantæ amplitudinis, ut integram manum capere poſſet, nec minores cavernas, quas ſuperior femoris pars fovebat. Infra modò memoratum ſaccum durities ſatis magnum ſpatium occupans obſervabatur, quæ fotuum emollientium ope evanuit. Die 26. laudatus Chirurgus per utrumque majorem ſinum ſuperiorem atque inferiorem inciſiones fecit, quibus detegebatur oſſis femoris caries tanta, ut fermè nullibi muſculus ipſi adhæreret, repleto intra os & muſculos ſinubus undiquaque excavatos, ſpatio ichoroſâ ſanie fœtoris inexplicabilis. Superiorum ſinuum unus ad os ſacrum usque pertingebat, ibique exitum molitus denudatum ac carioſum illud os ſpatio floreni ſolidi monſtravit. Cogitandum itaque inprimis erat de removendâ carie, cujus exſtirpationem Rev. D. Frater Chirurgus effecit partim ſpecillo ferreo (einem Meiſſel) quod malleo, ne reſileret, plumbeo percuſſum ſeparabat carioſas oſſis laminas, aſperſo poſtmodum pulvere radicis ariſtolochiæ rotundæ; partim, ubi inſtrumentum applicari haud potuit, ſolâ aſperſione pulveris ex rad. ariſtoloch. rot. virid. flor. angel. euphob. olibano, aloë, myrrhâ compoſiti. Hic operandi modus non quidem deſtituebatur exoptato ſucceſſu, vidimus enim jam accreſcere oſſi carnem; Verum tormenti atrocitas (ſi de ſaluberrimis chirurgiæ auxiliis ita loqui licet) tot expreſſit miſero ejulatus, ut omnes adſtantes ad commiſerationem commoverentur, exceptâ uxorè Xantippe, quæ ex more ejusmodi furiarum, quibus, credas, non datur gravius onus, hilari fronte mariti

lamen-

ad Hist. 10.

Vera Magnitudo.

ad Histor. 23.



lamentationes ſuſtinuit. Sanè quoties huic ſupplicio intereram, toties recordabar judicioſæ querelæ, quam de Chirurgis Indi ducunt, & his verbis conceptam legi *dans les Memoires de Monſ. le Comte p. 306. On Vous traite en Europe avec le fer, icy on nous martiriſe avec le feu; la mode apparement n'en changera pas, parceque les Medicins ne ſentent pas le mal, qu'ils nous font, & qu'ils ne ſont pas moins bien pagés pour nous tourmenter, que pour nous guerir.* Cum verò in noſtro Noſcomio omnia gratis fiunt, & miſericordia, quantum per ſaluberrimam artem licet, hîc nunquam exulat, ad illos chirurgos hæc joco-ſeria ſpectare videntur, qui ſupplicium ſumunt de ægrorum ſuorum corpore ac crumenâ. Noſter ex morbi diuturnitate omnibus viribus exhauſtus non amplius par erat curæ hîc requiſitæ, inprimis cum febris vulneraria illum nunquam relinqueret, & poſtquam d. 6. Auguſti uterque pes ſiniſter circa taleolum ac dexter usque ad genu intumuerat, die 26. omnimoda lotii ſuppresſio ex vicino ſphincteri veſicæ ulcere ſuperveniret cum dolore inflammatorio in abdomine, quæ atrociſſima ſymptomata vitæ finem die ſequenti fecerunt.

Audacius poſt mortem ferro perſcrutabamur hoc peſſimi moris ulcus, ſinuum numero & capacitate feraciſſimum, inveniebamus omnes atque ſingulos muſculos oſſa dextri lateris, ſcilicet femoris, ilii, coxendicis, coxygis & ſacrum inveſtientes adeò deſtructas, oſſaque innominata ubique carioſa, ut magis mirum, quod tam diu potuerit vivere, quam quod demum anno 1716. ſit mortuus.

X.

Hiſtoria & Anatome Phthiſici.

ENſe cadunt multi, perimit ſed crapula plures. Peremit etiam hæc Peſtis G. J. B. Virum 30. annor. facetiis deditum & ludicro hoc vitæ genere favorem Magnatum

captantem. Ultimis vitæ ſuæ annis morionem egerat apud Ducem bellicum, quem ad Caſtra comitatus & comedendo & bibendo ſanitatem ſemper nauci penderat. Ipſemet fatebatur ſe halecibus & caſeo veſci diu in deliciis habuiſſe, crematum verò & cereviſiam ingurgitaſſe noctu diuque heluonum more. Ne de veneris illecebris dicam, quibus irretitus dignum hoc labore brabeum, veneream ſcilicet Luem lucratus fuit, ut tandem mulctæ reus ſe ſubjiceret ſalivatoriæ curæ, quam verò patientiâ deſtitutus juxta methodum non abſoluit. His præmiſſis erroribus anno 1715. Menſ. Aug. ſequebatur tuſſis cum diſpnœâ & Menſ. Septemb. raucedo cum phlegmatis albicantis exſpuitione pariterque virium jacturâ ac contabeſcentiâ. Cum die 12. Decembris intraret Noſocomium præter dictas querelas dolorem punctorium ſub dextri lateris claviculâ accuſavit, cedebat verò & hic dolor adhibitis externè linimentis ac veſicatoriis ad ſuras, internè infuſis, decoctisque ex pectoralibus, reſolventibus &c. & appetitus comedendi mox erat melior, vocisque ſonus clarior. Verum d. 29. Decembris omnia mutabantur in pejus, invadente ægrum tuſſi graviori, reſpiratione difficillimâ; pedum tumore atque antecedenti pectoris dolore, quæ ſymptomata mitiora erant, ſi deſiſtebat â motu. Die 31. profluxit lotium copiâ & pituitoſo muco matulæ fundum occupante, notabile. Die 4. Januarii a. 1716. circa noctem obſervabatur febrilis æſtus quotidie ſtato tempore reverſus cum deliriis, quæ tamen primum vix attendebantur, cum æger noſter nunquam non ageret ſtultum & ipſam mortem die 10. Januarii joco exciperet, dicendo in ultimo vitæ ſuæ articulo ad Rev. Fratrem excubias nocturnas habentem, & monſtrando inſimul linguam: ecce, ecce mortem linguæ meæ inſidentem. His verbis exſpiravit â tuſſi ultimis diebus penitus liber, confirmans dicterium medicum *à Chriſtiano Langio in*

Mi-

Miscell. curios. medic. obs. 9. p. m. 20. seq. examinatum: *Phthisicum pectus sine tussi vitæ terminum annuntiat.* Non tamen omnimodè conscientiæ remorsum abfuisse exinde colligere licet, quod, remotâ â lecto candelâ tantas perpessus fuerit anxietates, quas exprimere non satis potuit, quapropter eam toto morbi cursu accensum prope lectum habuit.

Causa hujus mortis me quidem non reddidit sollicitum, ut verò satisfieret desiderio quorundam Procerum, qui ægrè perferebant jacturam hominis ad provocandum risum nati, præsente *celeberrimo Sprottaviensis Districtûs Physico Rethelio Amico integerrimo*, perlustravi cadaver. Aperto pectore lymphæ extravasatæ libra una in cavitate fluctuans & dexter pulmonum lobus firmissimê Pleuræ usque ad claviculæ regionem adhærens conspiciebatur. Manet itaque experientiæ *Christ. Bennetti in Theatri tabidorum Exerc. 16.* annotatæ sua laus, quod Phthisis plerumque sit lethalis ubi pulmones pleuræ accreverint, cui & ratio adstipulatur, cum exinde gravior respiratio inducta, & difficilior pulmonum transpiratio huic visceri magnam vim inferant. Ulterius progressum faciens in superiori dextri lobi parte ulcus quod manum caperet, & sub illo loco, quem vivus dolentem digito monstrabat, erat, nec multò minus pariter pure refertum in altero lobo inveni; reliqua verò pulmonum substantia tota tota scirrhis ac steatomatibus scatuit. Quapropter hæc Phthisis non ejusdem moræ fuit, uti apud illos accidit, quibus ut cum *Willisio de Phthisi* „ *pulmon. sect. 1. c. 6.* loquar, unica aut fortè binæ foveæ „ in pulmones efformantur, parietibus callosis circum „ circa obductæ, ita ut materies ibi collecta in massam „ sanguineam minime transferatur, sed quotidiè tota, co- „ piâ licet ingenti, expectoretur. Taliter affecti quasi „ tantummodo fontanellam in pulmone haberent, spu- „ tum & si multum & crassum, imò flavum & quasi pu- „ rulentum omni mane, aliquantulum in totâ die rejiciunt,

„ tamen

„ tamen alias ſatis ſani degunt, bene reſpirant, comedunt „ & dormiunt, εὐσαρκεῖς aut ſaltem in modico corporis habitu perſtant, & non raro perſeneſcunt: hinc nonnulli dicuntur Phthiſin per 30. aut 40. annos habuiſſe, & morbum eum usque ad vitæ terminum (haud proinde abbreviatum) protraxiſſe: atque interim alii (exempli loco ſit meus Phthiſicus) cum minus tuſſiant aut exſpuant, intra paucos menſes in febrem hecticam incidunt „ ac brevi in ſepulchrum præcipitantur. Hæc ille. Abdomen mihi revelabat jecur hinc inde putrefactum & folliculum felli deſtinatum, qui limpidisſimam aquam flavedine obiter tinctam continuit, certo indicio, ſpirituoſorum exceſſū depauperaſſe ſanguinem particulis ſuis ſulphureis atque balſamo. Renum quilibet magnitudine ſuperabat lienem utplurimum rotundum, naturaliter alias conſtitutum, ſed adeò exilem, ut altitudine & latitudine vix attingeret dimidiam palmam. Curioſitatis eſſet hîc inquirere, an hæc lienis conformatio fons & origo fuerit animi ad hilaritatem ſemper proriclis, cum magnus Lien ex communi ſententiâ pro certo Melancholiæ indicio habeatur. Verum litem hanc optime dirimere poterit *T. Boneti ſepulchretum*, utpote quod *lib. 1. ſect. 9.* melancholicus in apricum producit & magno, & parvo, & nullo liene præditos, ut hâc ratione nullius penitus momenti videatur, in hoc viſcere ſedem vel hilaritatis vel triſtitiæ certò ſtatuere velle. Per accidens quidem melancholiam morboſo Lieni connexam eſſe quis dubitaret? ſic firmiter perſuaſus ſum, illum, qui lienem durum ponderis quatuor librarum *teſte Boneto l. c. obſ. 23.* geſtavit, & ſexagenarium ex lapſu mortuum liene penitus putrefacto inſtructum, cujus *celeberr. Pariſienſium Anatomicus Littre, Præceptor olim & Hoſpes meus devenerandus in Hiſtor. Academ. ſcient. a. 1699. p. 50.* meminit, non minus quam omnes notabili alicujus viſceris vitio laborantes plus melancholiæ

quam

quam gaudio esse addictos. Omnem verò culpam lieni sine discrimine adjudicare non auderem, adhærens potius opinioni *Riolani*, quam in lienis defensionem *in Anthropogr. l.2.* foret. Si itaque in liene præternaturaliter constituto non habitat melancholia, nec gaudii domicilium in eo erit. Sane si in hâc re aliquid pronuntiare mihi incumberet, assentirem potius *Lancisio*, qui in Illustrissimi ac Reverendissimi Præsulis Horatii Albani cerebro glandulam pinealem viscidulo sero ita infarctam, ut quasi sepulta & vaginata videretur, inveniens, huic melancholiam Albano familiarem attribuit, uti ex *Appendice Cent. III. & IV. Ephemerid. nostrarum p. 11.* constat. Cur non eodem jure animi serenitatem potius in hâc corporis metropoli, quam apud Phthisicum meum facetum intrare temporis penuria prohibuit, quam in Liene quærere deberemus?

XI.

Historia & Anatome Pectoris hydrope Ascite & Anasarca extincti.

NOn cuivis Medicorum contingit ire Corinthum & eò felicitatis pervenire, ut cum *J. B. van Helmont in tract. de ignoto Hydrope* §. *11. Operum p.m.314.* gloriari possit, se supra bis mille hydropicos, etiam quorum lotiũ jam ê cruento nigricaret, & totâ nocte vix cochlear unum minxerant, in pristinam sanitatem restituisse, aut illud adi pisci ellogium, quod ob victas sine exceptione hydropises Philosophus per ignem *Theophrastus Paracelsus* in Epitaphio Salisburgi erecto, sibi vindicavit. Sit fides hujus arrogantiæ penes Autores; ego certè ipsis calculum addere hæreo, cum experientia me quotidie doceat, plerosque hydropicos illudere artis nostræ subsidia, etiamsi ea ex maximè abscondi-tis vel antim. vel mercurii qualitatibus eruerentur spagy-

 ricè,

ricè. Proſtant quidem exempla nonnullorum, qui vel naturâ medicatrice, prout in antecedenti Hiſtoria videre eſt, vel medicamentorum auxilio atrocisſimum hunc hoſtem feliciter profligarunt. Ipſemet enim recordor, me aliquoties hydropem exſtirpaſſe ſalibus digeſtivis v. g. arcano dupl. M. Tart. Vitriolato, ſale abſynthii &c. ſubductâ ſubinde alvo vel cum Electuario hydragogo Sylvii, vel alio ex roob ebuli, reſinâ jalappæ, ſale geniſtæ & ſyr. domeſtico conſtante, & finiendo curam vino, quod ex chalybe, radicibus aperitivis, ſtomachicis ac amaricantib9 herbis corroborandi virtute pollebat. Alios cum *Foreſto lib. 19. c. 27.* ſcio, unicè allio, diureſin vix credibilem excitante, contra mentem *Tulpii lib. 2. obſ. cap. 35.* qui exinde lienem tumefactum, jecur retorridum, inteſtina ſyderata, renes putridos factos fuiſſe false ſcribit, & raphano curatos. Aliis, me teſte, lotium vaccinum ſive la Cure de mille fleurs, de quâ in *Hiſtoria morborum Vratisl. a. 1702. p. 112. ſeq.* ſanitatem attulit, & novi juvenem, qui non ita pridem ab Anaſarcâ ſtupendi aſpectus liberabatur medullâ ramorum ſambuci, cujus tantum, quantum vola manûs tegit, cum aquæ fontanæ unciis quatuor decoquebat, hujusque decocti dimidiam partem mane, alteram veſperi calidè ebibebat, quæ methodus per novem dies continuata ſuaviter purgando ex voto conduxit. Verum utplurimum oleum & operam perdimus, ſi Aſcites ſe aſſociat, qui curam nobis difficillimam, ne dicam penitus impoſſibilem reddere ſolet. Horum optimè gnarus *Perilluſtris Brunnerus in ſcholio ad obſerv. 100. Dec. 2. a. 8. Ephem. Nat. Curioſ.* ſolidè explicavit diverſum in Hydrope eventum, cujus verba, cum antecedentia illuſtrare posſint, hîc apponere juvabit. *Cura*, inquit, *facilius ſuccedit in iis, qui integris vaſis lymphaticis fluidum corporis perverſa Diætâ contaminarunt, aut lympham viſcidam, acidum ad ſtagnandum in ſuis colatoriis aptum reddiderunt, unde febrium leges, quas diuturnas Hydrops non raro excipit; quem ingentem reſolvendo potenter & attenuando*

do lympham, oborto quasi cataclysmate & largâ diuresi plus vice simplici persanavi, & persanantur quotidiè Anasarcâ laborantes, in quibus manifesta lymphæ resorbitio observatur; difficilius autem illa succedit in iis, quibus glandulæ aut induratæ, aut vasa lymphatica rupta, erosa, aut alias vitium cæperunt organa hæc hydraulica. H. J.

Ad hanc classem, cui symbolum addit *Hippocrates de inter. affect. t. 27.* dicendo: *Morbus gravis est Hydrops & pauci hunc effugiunt*, refero *Balthasarem Bloch* Operarium, qui 75. annorum senex circa finem Julii anni 1715. horrore non intermittente vexabatur usque ad 15. Augusti, quo pedes & sucessivè abdomen intumescere inceperunt. Præterea aderat tussis, dispnœa ac copiosa salivalis lymphæ exspuitio, die 7. Decemb. aliquales inducias concedens, tumor autem indies auctus tantam habuit duritiem, ut â digitorũ impressione nulla restaret fovea. Hæc abdominis moles cum scroto pariter tumefacto alternare videbatur, hoc enim crescente illud decrescebat, & vice versâ, talesque vicissitudines in reliquo corporis habitu tumor leucophlegmaticus exercuit. Sic d. 20. Decemb. caput intumuit, quod per sacculos arenâ calidâ repletos & applicatos ad naturalem statum perveniebat, cum interim die scilicet primo anni 1716. nasum occuparet erysipelas, ab asperso pulvere contra erysipelas Mins. disparens. Die 16. Febr. & scrotum & dextrum pedem omni sensu carentem fundere lympham nobis innotuit. Situm in lecto supinum tandem mutare coactus fuit tribus septimanis antequam moriebatur. Pulsum lento gradu serpentem, urinam verò tenuem copiosè profluentem per totum morbi cursum, si tres ante obitum dies excipias, observabam. Hisce demum ultimis diebus de siti, æstu interno & aliis febrilibus symptomatibus conquerebatur, ut & de dolore, quem gangræna, suras, scrotum ac inguine infestans, excitavit. Extremo die, qui erat 22. Feb. evomuit nigri coloris phlegma, & paulo post Creatori suo animam reddidit.

Morbum antecedentia me penitus latent, nisi quod audiverim, eum ante ingressum in Nosocomium sæpius stillicido sanguinis fuisse obnoxium, & de ejus egestate certus, nullus dubito, victum primordia morbo suppeditasse, inprimis in ætate adeò provecta. Interim haud neglexi debellare cachexiam anteâ laudatis salibus, pilulis, lixivio diuretico Minf. balsamo, ut dicitur, perpetuo, cujus basis rad. hellebori nigri est, & vino magnarum alias virtutum sub Tincturæ sacræ nomine mihi officinali, ex Hiera Pachii & Cochin. parato, quod cochleatim haurit. La callio decoctum etiam in auxilium, per aliquot tempus non sine auxilio, vocabatur, dolendum saltem, quod, uti reliqua diuretica, ulteriori successu caruerit. Purgantibus locus fuisset, si senectus non obstitisset, siquidem non video, cur *Perillustris Brunnerus* in loco superius allegato illis denegare velit omnem efficaciam educendi hydropicorum aqua. Pace tanti viri non solum purgantibus cum *Magno Wedelio de medicam. Facultat. l. 2. sect 2. c. 7.* adjudicarem vim diureticam eximiam tam propter eorũ salinum stimulum, qui sanguinem fundit quam ob consensũ intestini recti & vesicæ, altero enim sphinctere soluto & alter portã pandit & lotium certò certissimè pellendi hinc efficacia sequitur, id quod, si jocosa seriis interponere licet, *Christ. Langius in Miscell. curios. medic. obs. 6.* sub titulo: *in lotio suppresso mira purgantium efficacia*, confirmat læpidissima historia ex *Olearii Itinerario Persico* hisce verbis conceptâ: *Persarum Rex mulierculis quibusdam Cinædicis demandaverat, ut ad Procerum suorum Primatem, quem in oculis habebat, citò se conferrent, & coram ipso in conclavi singulæ alvum dejicerent. Quid illæ? parent nempe & Magnatem adeunt: jam jam verò se accincturis ad exhauriendum mandatum, dicit Dynastes: Benè est, agite & peragite, quod vobis â Domino meo impositum, sed ita, ut ne latum uuguem â præcepto deflectatis, verum strictissimè illud expediatis; quæcunque enim vestrum juxta latices fundet & cum alvi fœcibus vesicam unà solvet, illa injuxta*

dubitato jugulabitur. Perſentiſcentes Turpiculæ iſtæ impoſſibilitatem ſervandæ conditionis, ventrem ſcilicet haud reddi poſſe, niſi inſimul veſicæ libertas accedat, ſtatim diſceſſerunt, & Regi callidam Intimi ſui inſtantiam non celarunt, qui huic etiam clementisſimum dedit applauſum. Verum etiam ſuaſore *Sydenhamio tract. d. hydrope operum p. 618.* & experientiâ confirmatus mihi maximè probabile videtur, adeſſe ejusmodi cœcos meatus, per quos aquæ ex abdominis cavitate ad inteſtina transferuntur; cum quotidiè obſervamus tantum aquarum in abdomine incluſarum vim per ſeceſſum educi, perinde ac ſi primitus in ipſis inteſtinis continerentur. Producit l. c. plura ad ſtabiliendam hanc hypotheſin argumenta, quæ ibidem merentur legi. Sufficit, quod quotidiè in noſtris corporibus mirandæ humorum metaſtaſes occurrant, ad quas perſcrutandas filo ariadnæo opus eſſet. Ne dicam de naturalibus phænomenis ad humorum ſecretiones ſpectantibus & earum viis oculis noſtris adhuc incognitis, per quas v. g. chylus ex inteſtinis ad vaſa chylifera, ſanguis ex arteriis ad venas, urina potûs ad veſicam &c. vehitur: hos meatus vix ullus in dubium vocat, etiamſi nec lynceis oculis ſe manifeſtent. Itaque purgantia ex anthydropicorum catalogo minimè delenda ſunt, ſi cardo curæ adhuc verſetur circa aquarum eductionem, quâ tamen pariter operam ludimus, diſruptis jam viſcerum vaſis lymphaticis, prout in noſtro apparet.

Sectionem enim adornans in hoc cadavere, cujus habitus erat excarnis, ex abdomine inſtar torrentis cum impetu vidi profluentem maximam aquarum limpidiſſimarum fontanæ haud diſſimilium copiam, eaque effuſa inveni omentum flaccidum atque putridum, lienem ſuperficietenus, ubi lymphatica repunt, quaſi ſaccharo conditum & grandinibus albis, tanquam margaritis conſitum; Hepar exterius, qua latus dextrum reſpicit, acſi ex gypſo eſſet fabri-

catum, & interius adeò ſcirrhoſum & lapide durius, ut cultri aciem eluderet. Fellis folliculus bilem tenuem & aliquot lapillos nigricantes continuit. Meſenterium ſetaceo adipe illinitum naturaliter conſtitutum erat, uti etiam renes & pancreas, niſi quod illorum ſiniſter parum ſcirrthoſus, & hæc glandula parvum lapillum piſo minorem monſtraret. Thorax aquis pariter fuit repletus, unde mihi iterum naſcebatur ſuſpicio de polypo hujus Diluvii Autore, quem etiam gelatinoſum flaccidi cordis dextra auricula, & alium ſpithamam longitudine excedentem arteria pulmonalis conſpectui dabat. Pulmones nihil monſtri aluerunt. Teſticulorũ par non exceſſit naturalem magnitudinem, panniculus verò carnoſus eorum, non minus quam penis & præputii, ſub quo glans profundè latebat abſcondita, inſtar ſpongiæ aquâ maximè tumidæ, ad tantam pervenit craſſitiem, quæ duorum digitorum latitudinem ſuperabat. Diſciſſo crurum tegumento non minus denſo ac tumido innumeras ſcaturigines, & curioſiori ſpectaculo tot rivulos, quot muſculorum interſtitia Te animadvertere crediſſes, adeò quidem nitidè illi â lymphâ, quæ ex ruptis ſuis ductibus muſculorum tunicas occupantibus, ſeceſſerat, ſeparati erant, ut myologia ſine cultri vel alterius inſtrumenti adminiculo in hoc cadavere demonſtrari potuiſſet.

XII.

Hiſtoria & Anatome Tympanite, Pectoris hydrope, Aſcite & Anaſarcâ demortui.

HYdropem humidum inverſo licet ordine excipiat ſiccus, qui eò notabilior, quò periculoſior, & eò majori jure hunc ſibi vendicat locum, quo nunquam non conjunctior ipſi comes ſive pediſſequa eſt reliqua Hydropis Cohors in *Hiſtoria antecedenti* producta.

Con-

Confirmabit intimum hoc quod Tympaniti cum hydrope intercedit, commercium Historia, quam in Nosocomio suppeditavit *Gottfried Caspar Barth.* decem annorum puer. Hic jam ante dimidiū annum herniâ scrotali onustus nostrum imploraverat auxilium, cujus etiam ex voto particeps factus fuit absolutâ, me suasore, famosissimâ curâ *Prioris Cabriæres* â *Dionis dans le Cours des Operations de Chirurgie 4. demonstr. p. 223.* satis clarè descriptâ, quam & adultis satis fecisse certò mihi innotuit. Tunc temporis difficilius subinde trahebat spiritum, accedente mitiori tussi, verum, ut vera fatear, non multum sollicitus fui de his querelis, cum ipsemet æger has qualescunque molestias vilipenderet, & curatâ herniâ Lares nostros lætus relinqueret. Præterea mihi referunt, quod satis benè se habuerit usque ad 21. Augusti a. 1716. quo die primum dolorem tensivum â pectore versus hypogastrium præcedentem, pariterque in hypochondriis ac si inflata essent, cum tussi sensit, quæ inflatio notabilior erat commesto largius cibo. Attamen dolor non tantus erat, ut servitiis obicem posuisset; potuit enim adhuc obambulare, ac naturali appetitu cibum capere. Postquam verò die 9. Septembris matutinis horis stomacho jejuno panem similagineum, prout ex furno protrahitur, recentem, cucumeres aceto conditos, cerasa, ribes, hisque præmissis frigidam aquam ingurgitasset, circa vesperam horrorem cum subsequente æstu experiebatur. Altero mox die artus, facies atque abdomen maximè intumuerunt, deerat appetitus, respirabat difficillimè & per vomitus ejecit phlegma acido-austerum. Cum die 11. iterum ad nos confugeret, observavi totum corpus, ne capite quidem excepto, tumidum, abdomen verô tympani instar, quod pulsatum sonitus edit, maximè distentum, & nullibi ab impressis digitis foveas, quæ Leucophlegmatiæ indicium sunt. Respirationi anhelosæ & anxietatibus suppetias ferre videbantur porracei vomitus ac ructus, quibus cessan-

santibus præcordiorum angustia ac sibilus in bronhiis suf-
focationem minabatur, inprimis vespertino tempore, quo
per dimidiam horam sensu ac motu privatus largum sudo-
rem fudit. Hunc lypothymiæ paroxysmum excepit sum-
ma virium jactura, sitis, puncturæ dextri hypochondrii,
dolor circa umbilicum, borborygmi, major adhuc corpo-
ris totius inflatio, quæ & oculis visum & manuum carpis
pulsus tactum intercipiebat, atque in abdomine tanta erat,
ut de assumpto veneno suspicionem alerent adstantes. Cum
verò hæc symptomata sequenti mane â vehementiâ mul-
tum recessissent, non dubitavi exhibere laxans, cui nihil ef-
ficienti superaddidi clysma ex chamomill. rutâ bacc. lauri,
sambuco, croco metall. &c. cum lotio decoctum pariter ir-
riio conatu, quoniam vix injectum subito effluxit. Em-
plastrum carminativum abdomini impositum minimè po-
tuit perferre, ipsi imputans violentas abdominis constricti-
ones atque Ischuriam. Melius prodesse videbatur fotus ex
spec. carminat. cum vino paratus, quem unà cũ antecedenti
clysmate d. 13. adhibitum sequebantur liquidæ alvi dejectio-
nes lumbricis refertæ & lotium colore fuscum, maximè
turbidum alvinisque excrementis haud dissimile. In lecti-
one *Amœnitatum exoticarum* lectu dignissimarum *Engelberti*
Kæmpferi occupatus incidi *fasciculo 3. p. 543.* in historiam ci-
vis Disgunensis, qui laudato Kæmpfero retulit, se tympa-
nite tumidũ omni mane per sex hebdomades devorasse asæ
fœtidæ bolum seu pilulam majusculam, donec convalue-
rit; ex eo subinde sibi flatus sursum & deorsum secessisse a-
deò fætentes, ut ab hominum consortio jussus fuerit toto
tempore exulare. Quapropter & mihi, aliis carminativis,
tonicis, laxantibus &c. haud sufficientibus cum asâ peri-
culum facere lubuit, dando mane & vesperi hujus pilulam
piso majorem, nec voto fui frustratus, purgando enim cor-
pus insimul protrudebat hoc euporistum potenter flatus a-
sâ fætidiores & quandoque lumbricos, abdomen multum

dimi-

diminuebatur, somnus erat tranquillior, & forsan hinc sanitatem, uti memoratus civis, recuperasset, nisi pectus occultasset majus malum, quod sequentia in apricum proferent. Scrotum sæpius flatu turgidum: ab eo tamen facilè liberari potuit, manu saltem illud comprimendo, ut flatus in abdominis cavum retrocedere cogerentur. Præter vomitus quotidie fermè recurrentes die 16. prima vice audiebatur dentium stridor, qui sequentibus diebus tantâ rediit vehementiâ, ut exinde duorum dentium jacturam pateretur. Die 18. gravis auditus, die 19. circa vesperam horror & post eum æstus cum siti vexabat, insimulque exspuebatur multum phlegmatis purulenti atque cruenti. Die 20. incrementa iterum sumsit abdominis moles, modò dolorifica & pressa foveas monstrans. Die 22. circa vesperam revertitur horror cum subsequente æstu, die 23. æstus sine horrore, & quoties febrilis insultus notatur, toties etiam plus sanguinis screatu prodit. D. 26. 27. 28. aliquoties floridus sanguis per os effluxit, & omni cibo abstinuit, unicè postulans, ut aliquis caput teneat, ne ipsi decidat. Somno carebatusque ad 28. Septembris diem, quo sempiternus somnus irruebat apud nostrum, hisce verbis valedicentem: Morior, date mihi candelam.

Occulta in lucem producturus sequenti die cadaver, cujus abdomen valdè extensum, dexter testiculus ac pedes tumentes, præsentibus *Exc. Domino Collega D. G. B. Preus & Domino D. Steiner*, aperui. Cum sternũ removerem tota pectoris cavitas aquis inundata erat, quib9 effusis apparebat dexter pulmonũ lobus flaccidus & muco quasi sebaceo, inspissatâ vel condensata nimirũ lymphâ, illinitus; sinistrum verò latus alteri pulmonum lobo destinatum instar bursæ â pericardio (quod etiam multum seri extravasati continebat) diaphragmate & pleurâ compositæ cernebatur, hujusque modò memoratæ bursæ parietes interiores obducti fuerunt materiâ pariter flavâ ac viscosâ instar sebi, qualem etiam ul-

timis diebus per nares excrevit æger noster. Credidisses penitus abesse hujus lateris lobum; sed ecce! ulterius indagando eum invenimus profundè sub ita dictâ bursâ latentem, diaphragma versus abdomen prementem pariterque labefactatum. Pectoris hydrops nunquam non polyporum progenies, prout in antecedentibus historiis videre est, de simili Parente mihi suspitionem dabat, quem etiam substantiæ membranaceæ revelavit dexter cordis thalamus. Dissecto abdomine magnâ in copiâ promanarunt aquæ limpidissimæ, quarum scaturigines omentum quodammodo putridum, atque mesenterium judico, cum hepar stupendæ magnitudinis, lien, renes omni labe expertes essent, nec facerè observaverim rorem adeò clarum in corporis cavitate stillantem, qui aliunde originem duxit. Magnum hepar, quod præter dextrum, etiam sinistrum occupando hypochondrium sub mole suâ lienem abscondebat, satis amplâ gaudebat vesiculâ felle naturaliter constituto repletâ; urinaria autem vesica â lotio vacua atque corrugata erat. De cætero satis mirari nequeo, me in tympanitico hoc subjecto abdomen aperiendo, ac perlustrando intestina, nec flatus, aut gas Helmontii sylvestre, nec glutinosam pituitam bullis aut vesiculis contextam, qualem *Sylvius*, *Riverius* &c. præsupponunt & *J. P. Albrecht in Ephem. Nat. Curios. Dec. 2. an. 1. obs. 80.* â Tympaniticis clysmatum ope excretam asserit, invenisse. Artus etiam vivo puero maxime tumentes præter parum seri extravasiti nihil, ne quidem indicium flatuum cognoscere dederunt, tametsi tumores flatulentos universam corporis peripheriam pervadentes, olim aduisse non dubitandum sit. Hinc commotus in intricatâ flatuum doctrina *Willisii* hypothesi *Part. 2. Pharmacop. rational. sect. 2. c. 4.* stabilitæ nullus hæreo assensum præbere, utpote quæ phænomenis in puero meo vivente & mortuo observatis proprius accedit. Persuasus nimium est celeberrimus Artis nostræ Antistes Tympanitem natales

les ducere â partium & viſcerum membranaceorum inflatione propter ſpiritus animales in fibras iſtas copiâ nimiâ adactos, ibidemque ſucci nervei obſtruentis vitio â receſſu impeditos, cui affectioni conſequenter flatuum in locis vacuis aggeſtio, velut complementum ſequitur. Ut clariora hæc fiant, docet, truncum nervorum octavi paris per cervicem utrinque deſcendentem filo ligare, & illicò totus ventriculus tanquam â vento inflatus, intumeſcet. Huc etiam ipſi quadrat *Smetii* obſervatio, qui juvenem vidit ex vulnere ſubter axillâ punctim facto, & in pectoris cavitatem penetrante poſt unicam noctem univerſalem, ſcilicet totius corporis tympanitem accipere, procul dubio propter læſionem plexuum nervorum prope axillas, per quos nervi totius corporis inter ſe communicant; læſo hoc plexu ſpiritus ibidem hoſpitantes irritati ἀταξίας ineunt, hinc inflatio per fibras nerveas, uti judiciosè diſſerit Ingenioſiſſimus Williſius. Hâc ratione totum ſyſtema nervoſum afficiebatur in Virgine tertianâ febri laborante, â febrili calore, qui quoties accedebat, toties etiam univerſi habitûs tumorem efficiebat teſte *Pechlino lib. 1. obſ. 57.* Correſpondet non minus quotidiana experientia, dum epota toxica, telorũ aut ferarum ictus, vel morſus venenoſi partium plurium aut totius corporis intumeſcentiam inducunt, poſtquam nimirum fibræ his de cauſis criſpatæ & exſiccatæ protentoſum acquirunt elaterem, ut cum *Baglivio lib. 1. oper. p. 81.* loquar, & ſpirituum influxus perturbatur.

Quis itaq; negaret errores circa diætã cõmiſſos cacochymicã humorũ diſpoſitionem, lumbricos &c. in noſtro ſuffeciſſe, ut irritando nervoſũ genus modo antea delineato producere potuer. inflationes? quæ diſtendendo violenter partes ſolidas liquidorũ circulũ impediverunt & hydropi ſicco aſſociarunt ſucceſſive humidum. Non multò abſimilem Tympanitis & aſcitis cauſam occaſionalem leges in *Chr. Joh. Langii Præceptoris quondam mei fideliſſimi Praxi med. c. 5. p. 33. &*

Collegio Casuali Cas. 35. p. 296. ibi enim aurigæ alicujus mentionem facit, qui Halis assumptis largiori in copiâ ovis in aceto frixis incurrebat hunc morbum, & licet post 20. dies ope clysmatum ejicerentur ova adhuc integra, fatis cedebat, quia molestissima irritatio crispaturæ fibrarum membranacearum, hæc inflationi, & tandem distenta intestina rupturæ lymphaticorum & lacteorum vasorum ansam procul dubio dederunt. His præsuppositis, quod â violentâ nervosarum fibrarum crispatura & tumultuario spirituum influxu dependeat Tympanitis, nemini non constabit, quomodo subito irruere possit hostis hic periculosissimus, ut & *G. A. Mercklinus* ex suppresso alvi crepitu (sit venia verbo) sartori alicui ætat. 36. Tympanitem & ipsam mortem obortam fuisse *in Ephem. Dec. 3. a. 3. obs. 142.* annotaverit; & quæ causa, cur remitterent post mortem fibrarum elatere, flatus disparuerint. Si igitur flatibus ipsissima sit necandi potentia, risum sanè tenebunt, qui apud *Suetonium in vita Tib. Claudii c. 32.* legent, quod ille Cæsar meditatus fuerit Edictum, quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emittendi: nec tam grandi vitio vertent *Lucæ Holsteinio*, qui Mensæ *Cardinalis Francisci Barbarini* accumbens & acriter disputans similem spiritum fœtentem ac clamantam emisit, inprimis cum eum judicioso joco condiret Cardinali ex *Virgilio* acclamans:

- - Tu das Epulis accumbere divûm:

Minimè tamen hûc quadrat:

Ventorumque facis tempestatumque potentem.

V. Menagian. T. 3. p. 170. f. sed hæc in parenthesi. De usu, quem superius laudata hypothesis in Praxi medicis rationi innitentibus præstare valet, hâc vice dicere nolo, cum mihi animo sedeat, prius experientiam datâ occasione consulere, quam meris ratiunculis Lectoris patientiâ abuti.

XIII.

Hiſtoria & Anatome Apoplectici.

MOrbus attonitus attonito ſanè aſpectu adeò formidabilis exiſtit, ut noſtrates ad exprimendum germanico idiomate ejus genium ſatis nervosè DEI manu tactum dicant, qui graviſſimo hoc affectu laborat. Quis enim non obſtupeſceret, videndo hominem ſanum uno ictu quaſi fulmine percuſſum omni ſenſu motuque & brevi ipsâ vitâ orbatum? & quis non crederet adeſſe DEI digitum ſubitaneo tali caſu indicantem lubrica vitæ humanæ fata? Illuſit hactenus & impoſterum illudet vera & fortis apoplexia omnem Medicinæ opem tametſi efficaciſſimam, nullumque eſt dubium, quin nunquam non ex tripode dictus cenſeatur *Hippocratis aphoriſmus 42. ſect. 2. apoplexiam fortem ſolvere, eſt impoſſibile, levem verò non facile.* Fortis verò ex Medicorum ſententiâ judicatur, quæ omnimodam infert ſenſus ac motus privationem cum maximâ reſpirationis læſione, & juxta *Dolæi Encyclop. lib. 1. c. 10.* definitionem *non abſimilis eſt ſomno profundiſſimo cum omnium ſenſuum ablatione, ex obſtructione principii nervorum oborto.* In hoc enim principio, intellige cerebrum tanq. primarium ſenſuum fontem, totius rei cardo verſatur, utpote quod diverſo modo læſum diverſi eventus prognoſticum *Hippocrati* ſuppeditavit ſtatuenti: *Quibus cerebrum ſideratum eſt, intra 3. dies intereunt ſi autem has ſuperaverint, ſani fiunt.* Abſit! ut oppugnem Magni Hipporcatis autoritatem; pace tamen tanti Viri apoplexiam fortem ad 14. usque diem protrahi poſſe, exemplo monſtrabo.

Introducebatur in Noſocomium die 22. Septemb. an. 1716. Figulus nundinas noſtras frequentans *Joh. Heinr. Herſchel* ætat. 50. annorum, temperamenti ſanguinei, qui ante duos dies præter hæmiplegiam dextri lateris loquelâ & omni ſenſu deſtitutus apoplexiam manifeſtabat. Antecedentium

um ignarus ſtatim de largâ venæ ſectione in paralytico brachio inſtituenda conſilium inivi, non neglecto veſicatorio nuchæ impoſito, apophlegmatiſmis ori inditis, frictionibus ſatis rigidis volæ manus ac pedis affecti adjudicatis atque clyſtere croco metall. acuato. Interne proſpiciebatur liquore Cc. ſuccinato, ſubinde interpoſitâ potione ex aqu. ceraſ. nig. fl. thil. paralyſ. meliſſ. citr. cinam. cordial. citr. a-popl. pulv. antiſpaſmov. antim. diaph. ſpecif. ceph. ſyr. ſtœchad. arab. fl. tunic. & Tinct. corallorum volatili, quæ ut ſummè antapoplectica, cum L. B. de Strahlenheim Suecici Plenipotentiarii munus gereret, Vratislaviæ primum innotuit, mihi verò ab Illuſtrisſimâ quâdam Domina gratiosè fuit communicata. His juxta mandatum ritè factis die 24. manum commovere, verba nonnulla proferre & die 25. ipſemet cibum capere potens erat, mente interim alieniſſimus, hujus enim quod non compos fuerit edocebat & ſermonibus & actionibus ſtolidis, dum ſellam perforatam lecto adſtantem non noſcebat, ſed in pavimentum conclavis alvum deponebat. &c. Itaque parum ſpei concepi memor Canonis â *Celſo lib. 3. c. ult.* promulgati: *Si poſt ſanguinis misſionem non redeat motus & mens, nihil ſpei ſupereſt:* quam prognoſin poſt quatuor dies corroboravit ſtatus in pejus ruens, ceſſante iterum omni loquelâ, comedendi appetitu, & incipiente lethargo inexpugnabili. Quicquid enim excitandi ergo tentaram, nullius fuit frugis, ſive conſideres veſicatoria, quorum in quolibet pede & brachio & in nuchâ unum geſtabat, ſive enemata fortiſſima, ſive ſpiritus volatiles externè pariter atque internè adhibitos, æthiopem citius lavare, quam veternum excutere ſucceſſiſſet. Die 3. Octob. pulſus & reſpiratio, quæ hactenus vix obſervari poterant, penitus ægrum deſeruiſſe videbantur, usque dum ſtertor ſuperveniebat, prodromus inſtantis mortis, quæ altera die fuit ſecuta. Horâ unâ ante obitum notarunt adſtantes jectigationes corporis vehementes, faciem mox

pal-

pallidam, mox fusco-nigricantem, ut horrorem injiceret adspicientibus, & toto morbi decursu in faucibus ac ore semper hiante tenacissimum mucum digitis extrahendum.

Cum quinto octobris die cadaver lustrationi exponeretur, oculis nostris se primum obtulit ecchymosis sinistrum colli latus cum axillâ deformans. Ad supremi ventris examen manum accingens & decussatim incidens membranam carnosam, prope os occipitis & frontis flatus cum sibilo ac strepitu per aliquot temp9 perseverant. protrudebantur. Remoto cranio jucundissimum aderat spectaculum, cerebrum scilicet turgescens, vasis sanguiferis abundè & formosè superbiens, quod â meningibus denudatũ elegantissimi vel in Hetruriâ prognati marmoris pulchritudinem illusisset, & certe ansam dedisset phantasiâ abundanti ex gyris venarum sub cœruleo colore apparentium mire contortis misteriosos caracteres enucleare, prout quondam ex locustarum alis ab aliquo hebraicè docto hîc factum fuisse recordor. Recordabar insimul ob excessivam cerebri copiam *observationis de Leonis cerebro in Bibliotheca Regia Parisiis anno 1667. demonstrato*, quam in *actis anglicanis editore Oldenburgio Mens. Octob. 1667. p. 435.* legere licet. Leo iste exiguum cerebrum respectu vitulini exhibuit, ut ex comparatione judicatum fuerit, paucitatem cerebri potius causam esse naturæ ferocis atque crudelis quam defectus ingenii, conjecturæ adhuc confirmationem cui conciliavit *observatio in vulpi marina* habita, in quâ nihil fermè cerebri inventum, utut sagacitas ejus & habilitas hoc ipsi nomen videatur indidisse. Nostri quidem ingenium me latuit, de crudelitate verò atque ferociâ eum absolvere nullus dubitarem. Intimius cerebri & corticalem & medullarem substantiã investigando, nihil præternaturalis invenire potui, nisi omnium vasorum summam intumescentium, & in ventriculis lateralibus pariter atque postico ultra unciam

semis

ſemis lymphæ limpidiſſimæ. Hæc etiam, me judice, ſufficiunt, pro demonſtrandâ præfatæ apoplexiæ cauſa.

Me quidem minimè fugit poſt mortem verâ apoplexiâ extinctorum utplurimum extravaſatum ſanguinem vel ſub durâ meninge, vel in ventriculis, vel prope ſubtiliora plexus choroidæi vaſcula, vel in aliis cerebri partibus fuiſſe inventam, uti ex *Wepfferi*, *Bartholini* & aliorum obſervatis conſtat. Attamen præter multos *Realdum Columbum anat. lib. 15. Horſtium obſ. anat. 3. Tulpium lib. 1. c. 3.* allegare liceat, qui unicè lympham terminos ſuos egreſſam, tanquam apoplexiæ & mortis indicium viderunt. Salva interim maneat hypotheſis *Perilluſtris Brunneri*, qui *Ephemerid. Dec. 3. a. 1. obſ. 152.* perſuaſus in cerebri ventriculis naturaliter adeſſe lympham ſeu ſpirituũ phlegma, illudque probabiliter partim per venas remeare, partim verò ad interiora penetralia poſtquam pervenit venarumque ſuperavit regionem, ubi remeare non datur, ulterius progredi, & in ipſos cerebri ventriculos, tanquam in ciſternam confluere. Hujus vel difficiliorem ſecretionem vel abundantiam varia producere ſymptomata non ſemper lethalia me convincit conſiliarius quidam noſocomii curæ concreditus. Vir ille, ut obiter dicam, ſummè plethoricus ætat. 30. circiter annorum nos anno 1716. accedebat tantâ vertigine vexatus, ut inſtar ebrii in quævis ſibi obvia impingeret, & nunquam non temulentus accuſaret ſenſum ponderoſum in arteriori capitis parte. Pauca certè reſtant, quæ in ejus ſolatium non impendiſſem, Venæ ſect. laxantia, ſanguinis orgaſmum compeſcentia, cephalica, nervina, maſticatoria, veſicatoria, pediluvia, cucuphas, fotus pro capite, fonticulos & tandem ſetaceum quomdamodo proficuum. Poſt feſtum, ut ajunt, ſcilicet poſtquam utcunque reſtitutus nos reliquit, incidi in *Lentilii* caſum meo non diſſimilem *Miſcell. part. 2. p. 314.* notatum, ubi commendatur Emplaſtrum veſicatorium toti parti capillatæ capitis applicatum, quod ſecundum enchi-

chireſes ibi communicatas in uſum vocatum cum euphoriâ copioſiſſimam lympham educere capax fuit. Doleo experimenti hujus diſpendium, & magis dolerem, niſi primâ oblatâ occaſione me aliquid exinde lucraturum ſperarem. Meum jam non eſt, inquirere in vias in corpore vivente ubique patulas, quas lympha abundans, craniũ tranſcendendo, ſibi quærit; ſufficit quod natura quotidie hoc reſpectu captum noſtrum miraculosè ſuperet. Sed ut in viam redeam: nihil occurrit, quod me impedire queat, quo minus crederem, apoplecticum meum debere mortem & ſanguini ſtagnanti & lymphæ in ventriculis cerebri extravaſatæ, id quod eodem modo accidit, quo ſuperius hydropem à polypo juxta *Loweri* mentem demonſtravi. Ut paucis repetam: ſanguis arterioſus remoram patiens glanduloſam cerebri partem ad exprimendum violenter ſerum adegit, unde ejus extravaſatio, & principia nervorum preſſit, unde ſpirituum ſeu principii vitalis denegatus influxus. Cum verò præternaturalis hæc ſecretio non uno impetu, ſed ſucceſſive provenit, non mirum, quod ad decimum quartum diem morbus hic graviſſimus fuerit productus. Quoad causã occaſionalem *Conſummatisſimi Practici Wepfferi* ſententiam amplector, qui tract. *de Apoplexia p. 261.* Apoplexiæ obnoxios profitetur, quibus medulloſa ſubſtantia cerebri vel ob vitæ errores, (quorſum vini abuſus p. 257. referendus) vel hæreditariam infirmitatem promptius & largius ſerum â maſsâ ſanguineâ mediante quâdam fermentatione ſegregatum recipit, ac ſibi obſtructionem inferri non renititur. Quæ reſtant, docebit ſæpius laudatus *Wepfferi* tractatus *de Apoplexia & Hiſtoria Morborum Vratisl. an. 1702. pag. 7. ſequent.* Collegii noſtri nomine ab Excellentiſſ. *D. de Helwich* conſcripta.

XIV.

Hiſtoria & Anatome Iliaci.

QUantum momenti in eruendis morborum cauſis ſitum ſit, neminem, qui vel primo limine ſacra ſaluberrimæ artis ſalutavit, fugere poteſt. Earum certè cognitio Medicis practicis ea præſtat, quæ nautis Pharus vel acus magnetica: hac enim duce navis ſecure in portum pervenit, & diagnoſi viam monſtrante æger ſcyllam atque charybdim effugiens feliciter periculoso morborum pelago egreditur. Hæret tamen, ut ſincerè dicam, ſæpius aqua, & cum navigantibus ſub æquinoctiali lineâ idem nos angit fatum, cum illos acus efficacia, nos ſignorum evidentia nonnunquam deſerat, & tam diu incerti oberremus, usque dum mors nobis myſteria pandit. Pandebat nobis talia, quæ ne quidem œdipus enodaſſet, in cadavere Iliaci, cujus hiſtoriam hîc recenſere operæ pretium duco.

Auriga *Johannes Faulhaber* ætat. 58. annorum athletici habitus Vir die 10. Novemb. 1716. inſolita ſenſit tormina cum alvi obſtructione, quæ cum continuarent, d. 14. præfati menſis ſe ad nos recepit. Eum accedens notavi præter dicta ſymptomata virium defectum, frequentiam ructuum, nauſeam cum propenſione ad vomitum, æſtum febrilem, ſitim, noctes inſomnes & dejectum appetitum. Leniter laxantibus curam aggrediebar, exhibendo pilulas polychreſtas D. Becheri, cum cephalicis nobis familiaribus ex Extract. colocynth. reſ. jalap. an. ℥ß. ☿ dul. ʒij. helleb. nig. ℈iiij. conſtantibus acuatus, ſal acidular. Egrenſ. ad ℥j. aquam laxativ. Viennenſ. cum ſpeciebus dia tartari Minſ. & tranſeundo ad fortiora, item ad topica emolliendi ac ſopiendi ſcopo abdomini dicata. Clyſmatibus pariter contra morbū rebellem fortiter pugnabatur; verum mox iterum ſolitariè effluxerunt, nec alta petierunt, etiamſi tam ſublimia non intendiſſem, qualia *Johannes Matthæus de Grandibus* de puellâ

ellâ iliacâ 12. annor. refert, quæ clyſteres & ſuppoſitoria oblonga quatuor filis femori alligata vomitu rejecit, cui non multò abſimilem caſum *Diemerbrœck anat. lib. 1. c. 8.* ſe Noviomagi vidiſſe teſtatur. Obſervationibus hiſce fidem fermè ſuperantibus patrocinari videtur. *Ad Spigelius de humani Corporis fabricâ lib. 8. p. 250.* probans in ſtatu præter naturali valvulum Bauhini colo adſtantem quandoque ruptam, vel laxiorem, vel muco pituidoque craſsâ ita oblitam eſſe, ut cœco ac colo quaſi agglutinata haud quaquam poſſit aperiri, nec iis, quæ inverſo violentoque motu periſtaltico ſurſum tendunt, remoram injicere. Sed redeamus in circulum. Inſequenti die lingua aſpera atque ſiccata certiſſimum internæ inflammationis indicium præbens ad nitroſa â *Celeberr. Frid. Hoffmanno in Diſſertatione de Pasſione Iliaca Halæ nuper habita* maximopere etiam commendata interponenda me commovebat, â quorum crebriori uſu lingua videbatur in melius mutari. Potum, quantum poterat, evitavit, quoniam ab ingurgitatis liquidis majores in abdomine moleſtias & vomitus quævis ingeſta educentes experiebatur. Interim abdomen magnæ molis & ipſo ſaxo durius apparuit, nullaque arte excrementis viam ſternere datum erat. Nec vomitus miſerrimo halcyonia conceſſerunt, ſed & die 21. in ſtercoreos mutati, confirmando *Galeni 6. de loc. c. 2.* ſententiam: *Si cui accedit vomitus materiæ purulentæ, ex his nullus ſalvatur:* circa veſperam 22. Novembris vitæ plenæ miſeriarum atque ipſi Miſeere mei finem fecerunt.

Diverſæ ab obſervatoribus annotatæ affectus Iliaci cauſæ me tenebant ſollicitum, ut ſcirem, qualis in noſtro ſubjecto ſub herbâ, uti ajunt, lateat anguis. Innotuit enim *Th. Bartholino Cent. 6. obſ. 38.* Ileum ab Ilei inteſtini coalitu; *Hippolito Boſco*, citante *Bonetto in ſepulchr. Tom. 2. p. 233.* â veſicâ pinguedine, oſſibus & capillorum grandi cirro impleta & adnatâ inteſtino recto, quod adeò comprimebat, ut nihil excrementorum effluere ſineret; *Eidem* juxta laudatum

Bonettum l.c. ab aſſato ſtercore, quod colon in ſuis anfractibus replebat, ut lapideſcere videretur; *Fontano*, quem pariter allegat *Bonettus l.c. lib.3. ſect. 14. obſ. 24.* â materiâ induratâ lapidosâ inteſtina extendente; *Fernelio Pathol. lib. 6. c. 9.* ex pituitâ colo infarctâ; *Joh.Frid.Khernio* â deglutitis 48. aureis nummis, *Ephem. Cent. 2. obſ. 154. Riolano Method. medend. ſect. 3. tr. 1.* ex meſenterii ſcirrho inteſtina premente; *Barbetto Prax. lib. 4. c. 7.* ex inteſtino colo ſphacelato, non procul â recto; *Sam. Reiſſelio Ephem. Dec. 2. a. 7. obſ. 11.* ab omento parumper inteſtino ileo adnato, atque aliquo momento ſphacelato; *J. Lanzonio Eph. Dec. 3. a. 1. obſ. 20.* ab ictu ſcorpionis circa ultimas inteſtini recti plicas; *Riverio obſ. Cent. 3. obſ. 26.* ex ileo, tribus complicationibus convoluto. Et quem latere poteſt multifariæ Experientiæ Paſſio iliaca ab Herniis producta? cum inteſtini portio intra proceſſus peritonæi impellitur atque in viris ſcrotum occupando, in fœminis ligamenta rotunda penetrando excrementis naturalem viam intercipere ſolet. Inteſtinorum etiam mutuos ingreſſus, ſeu intus ſuſceptiones pro cauſis morbi ſæpius nominati cognoſcere non dubitarunt ſcriptores fide dignisſimi, nec ipſis modus, quo ejuſmodi inteſtinorum ſuſceptiones fiunt, conceptu amplius difficilis eſt, poſtquam illum *Peyerus in tract. de glandulis inteſtinorum* experimento cum ranis inſtituto, evidenter ſatis demonſtravit. Laceſſitis ſcilicet in vivente amphibio inteſtinis, accidit, ut eorum quædam partes alicubi plus debito ampliarentur, quæ ampliatæ, ac in ſacci morem dilatatæ intra ſe receperunt conſtrictas ejusdem inteſtini alias portiones vicinas, easque ſinu ſuo abſconditas aliquandiu detinuerunt, inteſtini pars una ê latibulo alterius, velut è domuncula limax, in propatulam priſtinamque ſedem rediret. Verum ſimilis ingreſſus non tam facilè, ne quidem globulorum, nec mercurii (cujus ad libram integram *Zacutum Luſitanum* exhibuiſſe *in obſ. ejus 35. legimus*) adminiculo in homine ſuccedet, inprimis,

cum

cum utplurimum pars inteſtini inferior intrudatur in ſuperiorem, & violentas illas contorſiones, quæ adjacens meſenterium in conſenſum trahunt, procul dubio concomitetur inflammatio, compresſis ita & conſtrictis vaſis ſanguiferis. Quam vana etiam reponendi ſpes ab *Hippocrate lib.3. de morb. num. 14.* in follem fabrilem ponatur ſolidiſſimis argumentis evincit *Dolæus in Encycop. med. lib.3. c.6.* Ex modo recenſitis valvuli cauſis unam in noſtro locum habere perſuaſus, ſectioni die 23. Novemb. me accingo.

Compreſſo parum abdomine è naribus fæces liquidæ crocei coloris maxime fœtentes profluebant, eoque aperto tota cavitas ſimili ſcatebat materiâ fœculentâ, quâ remotâ in apricum venit morbi & mortis cauſa rarioribus annumeranda. Curioſo, credas, ſpectaculo animadverti omentum verſus dextrum hypochondrium inteſtini jejuni portioni bis circumvolutum, & forti amplexu inteſtinum conſtringens, ut laboris eſſet, illud explicare. In altero hypochondrio idem inteſtinum valdè turgeſcens ſphacelo quaſi conſumtũ, & ex unâ parte laceratum fæcibus, quæ non ultra progredi poterant, exitum conceſſerat. Sequentia inteſtina verè jejuna & adeò vacua deprehendebantur, ut ne mucum quidem cõtinerent & hâc ratione inverſo ordine tenuia præ craſſis moleſta naribus, accuratius ſcrutiniũ interdixerant.

Occaſionali cauſæ inhærens â vitæ genere, omnibus tempeſtatum injuriis expoſito, eam deducendam eſſe reor; ſiquidem tale mancipium & laborioſis onerum elevationibus & frigore, ut alias taceam moleſtias, abdominis viſceribus vim inferre, ac excitatis ob acutiſſimos dolores vel tormina, ſpaſmis, anſam ſimilibus circumplicationibus forſan ſuppeditare poteſt. Liquidiora enim excrementa noſtrum ab adſtringentium aut exſiccantium exceſſu abſolvunt, etiamſi alias, prout ex antecedentibus patet, ſymbolum ad generandum valvulum conferant, & cujus notabile ante 10. circiter annos in nobili Livono me obſervaſ-

ſe memini. Hic Gonorrhœâ infectus cum Judæo Medico pactum inverat, mediante quo ille huic decem nummos aureos, & Judæus ægro ſanitatem intra breve tempus ſpondebat. Hebræus lucro inhians ſaccharo ſaturni interné quotidiè propinato curam abbreviare volebat, infelici verò ſucceſſu, mutando nimirum gonorrhœam in Ileum. In his anguſtiis meum auxilium multis precibus imploravit, poſtquam autem cum ſanitate in gratiam rediiſſet, excesſit, evaſit, erupit ingrati cuculi memoriam poſt ſe relinquens. Colophonis loco non poſſum non, quin adhuc meritis elogiis, extollam fumum ex peto ope fiſtulæ huic uſui adaptatæ ano immiſſum, cum experientiâ certus ſim in atrocisſimis doloribus colicis, pertinacisſimis alvi obſtructionibus & ipſa Pasſione iliaca, niſi cauſa penitus ſingularis lateat, vix eſſe huic ſimile euporiſton.

XV.

Hiſtoria & Anatome Aſcitici.

MIrari deſines, Lector, quod tertiâ vice Aſcitici analyſin exhibere audeam, poſtquam Tibi varia occurrent, quæ in antecedentibus fruſtra quæſita non omni carebunt utilitate.

Concernit hæc hiſtoria *Davidem Staros* ætat. 28. ann. qui a. 1716. circa finem Junii incaleſcente ex itinere corpore frigidam largiter bibens per totam noctem horrore ſatis moleſto vexatus fuit. Horrorem excepit æſtus 14. dies perdurans cum deliriis, dolore lancinante circa regionem umbilicalem, & gravativo verſus ſiniſtrum hypochondrium, vomitu quæcunque aſſumta mox ejiciente atque ſiti intenſisſima, quam ſero lactis extinguere annitebatur. Ceſſantibus modò memoratis ſymptomatibus murmura in abdomine exaudiebantur, notabatur ejuſdem intumeſcentia, vomitus quotidie vel alternis diebus redibat, excrementa


ad Hist. 15.
dimitia pars pedis.

ta maximè indurata, albicantia & ſanguineis ſtriis intermixta parcisſimè lotiumque guttatim prodibat. Paulo poſt ſonitus ille ebullientis aquæ inſtar cum ſenſu dolorifico â ſiniſtro ad dextrum hypochondrium vergente ſæpius intra diem & noctem fuit reverſus, aucta inſimul abdominis mole. Hoc rerum ſtatu die 7. Septemb. in noſocomium advectus accepit quolibet mane pilularum polychreſt. D. Beccheri ℈j. meridiano verò & veſpertino tempore Lixivium diureticum D. Minſ. tantâ quidem energiâ, ut poſt quatuordecim dies venter torminum expers multo detumuerit, urina liberè fluxerit, & reſpiratio eſſet liberior. Præterlapſis octo diebus lotium iterum ſupprimebatur, ex quo abdomini durities, augmentum, dolor & ululatus totum conclave replens accesſit. Cum præterito anno in Iſchuriâ effectum haud contemnendum ab infuſo cantharidum ex commendatione *Th. Bartholini in Hiſt. anat. Cent. V. Hiſtor. 82.* obſervaſſem, & hîc conſilium *Perilluſtris Brunneri in ſcholio ad obſ. 100. Dec. 2. an. 9. Ephem.* firmo pede ſequi vellem, his verbis conceptum: *Per vias urinarias tendere potisſimum quicquid ſeri è ventribus hydropicorum fluit, ego quidem perſuaſus ſum; citra diureſin enim reſtitutum vidi hydropicorum neminem; catharſi autem dejectos plures, quæ cauſa fuit, ut, ſuadente & ſi Practicorum turba, ſedulò ſibi ab uſu purgantium in hydrope temperarint prudentiores, quos longa fecit experientia canos:* idem diureticum potentisſimum adhibui, verum non ſolum ſubſequuta fuit pertinacior alvi conſtipatio, ſed & æſtus, lotium paucum coloris ſuturatisſimi & turbidum, vomitus quotidie horâ meridianâ 12. & pomeridianâ 2. recurrentes, atque in dextro hypochondrio dolor adeò exquiſitus, ut latus crederet per terebrari. Attamen non inficias eo, purgantia hic nequaquam profuiſſe, quæ quidem eduxerant ſcybala argillacea, auxerant tamen, prout & lactis alliati uſus, abdominis tumorem, dolores inprimis ſiniſtri hypochondrici & murmura. Ex ſucco raphani aliquid levaminis habuit, mini-

minime autem illud, quod exoptabamus. Quapropter ulterius nunquam satis imitandi *Brunneri* vestigiis inhæsurus, qui loco citato putat, *vires si constent, sintque fractiones vegetæ, ad Paracenthesin, ceu sacram anchoram confugiendum esse, cum ambigua spes certa desperatione sit potior: sperare enim licet exhausta aquarum mole, qua tantum non pessundantur & obruuntur viscera, citius ea ad officia reditam & valetudinem esse recuperatura:* Nostro paracenthesin suadere haud dubitavi, cum ipse huic operationi se parem crederet, viresque non adeò dejectæ essent, ut non potuisset ambulare, & reliquæ corporis partes ab omni tumore apparerent adhuc immunes. Tantâ autoritate munitus, non patiebar deterreri per infelicem operationis hujus successum, notatum in *Ephem. N.C. â Simone Scholzio Dec. 1. an. 6. & 7. obs. 165. â J. J. Waldschmidio Dec. 2. an. 6. obs. 152. â J. Wolffio Dec. 2. an. 7. obs 187. & 188.* & alibi, credens potius fausta naturæ conamina arti sæpius exemplo fuisse, quale instar omnium illud esse potest, quod *Zacutus Lusianus Hist. lib. 2. obs. 24.* de Ascitica quadragenaria refert, cui perforato naturæ vi umbilico sensim egressa est aqua, ut 30. dierum spatio sanata hinc evaserit, vixeritque 22. annos. Nec exciderat memoria temeraria Rustici Cimbri paracenthesis, quam novaculæ acie susceptam felici eventu haud caruisse recenset *Pechlinus lib. 1. obs. 62.* Accessi itaque die 16. unâ cum chirurgo nostrate Krischio & loci ordinario ad perficiendum hoc opus juxta methodum â *Dionis* præscriptâm; sed ecce! cum æger denudaret ventrem, tumor adeò disparuerat, ut præmeditatũ supplicium non amplius haberet locum. Quis verò insperatam hanc mutationem aliunde provenisse sibi imaginaretur quam â notabili lymphæ excretione, qualem etiam die 14. per alvum & urinarios ductus copiosissimè contigisse audivimus? Revertebar iterum ad interna subsidia, non potui tamen impedire, quin abdominis inflatio rediret, & quidem tactu dura, cum tumore pedum œdematoso, respiratione diffi-

difficili, hypochondriorum dolore, ut ſemper ſupinus cubare cogeretur, atque die 25. aquosâ ſcroti hernia. Hâc ratione indies pejora adverti, quibus die 8. Novemb. ſe aſſociabat horror, exæſtuante nihilorninus facie, extrema macies in reliquo corporis habitu, ferina ſitis, omnimoda appetitus proſtratio, pauciſſima alvi ac lotii ejectio, & de ſonitu rugiente altum jam erat ſilentium. In ſtrepitus hujus locum ſucceſſit die 12. ſingultus, & tandem prægreſſâ dextri oculi inflammatione ac paralyſi palpebræ die 14. veſpertino tempore mors ultima linea rerum.

Sectionis operi die 16. cum chirurgo R. F. Coſmâ, quem nunquam non indefeſſum comitem habeo, me accingens, abdominis repagula perfringere prima fuit cura. His ruptis obſtupui videndo ſeri flami, cucoſi atque fœtentis plus quam amphoram impetuoſe torrentis inſtar proſilientem. Alveus hujus oceani, Peritonæum intelligo, ob labem â ſtagnante ibidem aquâ ipſi illatam virideſcente colore jam putredinem indicabat. Inteſtininis turgeſcentibus inerant liquidiora excrementa. Hepar, lien & renes, ſi ſubſtantiam conſideres, nihil heterogenii alebant, ſi verò de illorum formâ ſermo ſit, planè præternaturaliter eam conſtitutam fuiſſe, fateor. Viderunt alii, quibus cadaverũ inſpectio curæ fuit, inſolitæ magnitudinis Jecora, uti Barth. C. 5. obſ. 7. *J. J. Harderus in apiario obſ. 58. Bonettg paſſim in ſepulchreto, Dolæus Eph. Dec. 1. a. 9. & 10. obſ. 139. Spigelius in hum. corp. fabr. l. 8. c. 12.* qui prægrandi hepate præditos voraces pronunciat, quoniam eorum ventriculus plurimo colore circumdatur: nulli tamen magnitudine facilè cedet deforme illud cingulum, quod ex noſtro eruere licuit, utpote utraque hypochondria adimplendo diaphragma, cui in ſiniſtro latere adnatum erat multum attollens & lienem parvisſimum pariter annexum vehementor deprimens. An verò monſtrpſa hæc conformatio voracitatem induxerit, expiſcari non fuit datum, cum ægro vivente occulta nos laterent &

I gra-

graviſſimus poſtmodum morbus omnem de heluone ſuſpicionem deleret. Reliqua viſcera pariter ſalva cernebantur excepto unicè omento, quod putredine conſumtum vix ſui veſtigium reliquerat. Thoracis contenta optimè ſe habuerunt, & nihil præternaturalis obſervavi, niſi polypum in cordis ſiniſtra auricula & dextro thalamo, valvulis involutum gelatinoſæ ſubſtantiæ, qui ob exiguitatem parum adhuc moleſtiarum creaverant.

Cadet itaque tota culpa in omentum, quod ſolum in noſtro aſcitem produxiſſe non immeritò in reatu erit. Nec defenſioni locus datur, ſi conſideremus lymphæ copiam, quâ omentum multis lymphaticorum ductibus inſtructum, ex ventriculo & liene oneratur, multò minus ſi *Dolæanæ hypotheſi* adſtipulemur, qui *lib. 3. Encyclop. c. 9.* potulenta ex ventriculo per omentum ad renes venire ſuſpicatur. Hæc ſtatuendi anſam ipſi dederunt experimenta, dum in animalibus, quibus ante ſectionem magnam limpidæ aquæ copiam infundi curavit, ventriculo aquâ adhuc diſtento manu preſſo vaſa illa omenti ad ventriculum protenſa vidit turgida; & obſervationes in avibus, piſcibus &c. omento deſtitutis, qui nullam mingunt urinam. Maximum argumentandi pondus ſuperaddebat herniâ ſcrotuli laborans, cui poſt exciſſum ab Herniotomo magnam omenti partem remanſit urinæ difficultas, & ſi nimium potulenti aſſumebat, magnus circa ventriculum dolor, alvusque ferè ſemper laxa. Si talia cum iis, quæ â nobis fuerunt obſervata, conferamus, ubi poſt frigidam largiter hauſtam in omento ductuum aquoſorum obſtructio, eorum dilaceratio & abdominis hydrops enaſcebatur, quis non facilè aſſentiret celeberr. Dolæo, etiamſi vaſa urinaria ab omento ad emulgentes vehentia viſum noſtrum ad hunc usque diem effugiant? Calculum ſuum noſtræ opinioni addere videtur *Magnificus Volckamerus*, cujus verba *ex ſcholio ad obſ. 18. Dec. 1. a. 9. Ephem.* cum geneſin præfati morbi illuſtrent, epiphonema-

nematis loco annectere lubet: *Nil impedire videtur, quo minus verum hydropis originem omento assignemus; id enim quia potulentam ex stomacho absorbet humiditatem, ruptâ saltem vel tenui quadam ejus fibra, vel subtili canaliculo, guttatim in cavitatem ventris stillare, & augeri indies hanc posse aquositatem satis erit. Sugunt hirudinum more omenti fibræ ex ventriculo, quicquid humidi in fundo illius inveniunt: deficiente verò in illo potulento liquore, sitim, usque dum potus suffecerit, excitant: ablata hirudinibus cauda sugere illæ non desistunt: simili ferè ratione omenti fibrarum una aut altera dilacerata suctionem non omittet, nec siti ponetur terminus.*

XVI.

Historia & Anatome Pericardii Hydrope, Strumis ac intestini recti ulcere laborantis atque demortui.

IN morborum concursu, qui morbus complicatus audit, prudentis medici est, morbo maximè urgenti primum prospicere, omnemque curam eò dirigere, ut vita sarta ac tecta conservetur. Hâc in vado constitutâ reliquorum medelæ invigilare atque sanitati, quantum possibile, velificari oportunum erit. Si verò, quod sæpius accidit, primarius morbus feralis sit genii, Medicus certè culpâ vacat, quando in tali morborum concursu, non aliter ac in foro apud ære alieno obrutum, causâ cadit, & scopum sibi præfixum nullatenus attingit.

Similem jacturam passus habendo curam *Jacobi Schneider*, Fabri lignarii, post mortem ejus tandem lucratus fui spectaculum notatu haud indignum, quod Tibi, benevole Lector, una cum morborum præcedentiũ historia exhibeo. Invadit illum vino cremato valdè addictum Mens. Jun. a. 1716. ætatis suæ an. 24. fluxus alvi sanguine quodammodo tinctus, qui post octo septimanas in phlegma album & mucosum degenerans intra nychthemeron plus quam duodecies ad excernendum sollicitabat

 cum

cum continuo tenesmo, torminibus circa umbilicum maximè magis quam â meridie sævientibus. Præterlapsâ quartâ hebdomade etiam hujus muci dejectio cessavit ac præfatorum symptomatum vices supplevit laboriosior respiratio atque tussis sicca, quæ verò post quindecim dies ægro valedixerunt, recurrente iterum antea memorato alvi fluxu cum tantâ virium jacturâ, ut labores suos consuetos seponere cogeretur. Hoc stipatus satellitio die 25. Septembr. in nosocomium receptus me fatigavit in divinandâ morbi causa. Fluxui alvino jungebatur tussicula cum raucedine, & â 30. Septemb. usque ad octavum octobris quotidiè horâ quartâ pomeridianâ febrilis horror integris tribus horis ac hunc excipiens æstus sex horæ quadrantibus perdurans observabatur. Cum & febris hæc & alvi fluxus die dicto Octobris inducias darent, sudore nocturno quasi diffluebat & furentium hæmorrhoidum dolor aderat, nihilominus viribus magis confisus subinde lectum deseruit. Die 12. rediit molestissima tussis cum stupendâ faucium siccitate & 18. alvi fluxus cũ difficiliori respiratione, quæ tamen impediit, quo minus supino semper capite jaceret, aut stertorem inferret. Pulsus tactu advertebatur languidus ac rarior, nulla verò cordis palpitatio, id quod etiam â *Diemerbrock anat. lib. 2. c. 5.* in Pericardii hydrope observatum lego. Fauces interim permanserunt summè exsiccatæ & vox ob raucedinem vix notabilis. Tandem die 23. Octob. anima molestiarum pertæsa â corporis ergastulo emigravit placidè.

Illo tempore, quo ipsi medicinam feci & intestini recti ulcus suspicatus fui abstergentiũ pilularum ex balsamicis extractis usũ experiebar, applicatis insimul loco affecto mundificantibus ac vulnerariis clysmatibus, & dum inflammatorius dolor sæviebat, injectionibus ex sem. psyll. ac cydon. mucilagine saturnique saccharo compositis. Pectori omnium maximè solatium urgenti adjudicabantur resolventia, demulcentia, humectantia, quorum in censum

vene-

venerunt Elixir pectorale assam dulcem, styrac. calam. crocum, radices herbasque pectorales continens, Infusa anticatarrhalia, potiones ex aquis & syrupis pectoralibus cum spiritu salis armoniaci anisati, atque Decoctum sub mucilaginosi nomine nobis veniens in primarum viarum exulcerationibus ac catarrhis salsis singulariter commendandum, cujus compositionem legas in *Lentilii Miscell. part. 2. p. 598.* His auxiliis se multum dicebat sublevatum usque dum irrueret febrilis calor sub salivæ defectu, quibus, inflammatoriam febrem præsupponens, obviam ivi mixturâ simplici, nitrosis largoque potu. Verum voto, uti superius innui, frustratus, cadaveris sectionem die 24. Octobris adornare operæ pretium duxi.

Primus itaque labor impendebatur Thoraci, quo aperto nil nisi uter ab aquâ intus fluctuante se mirifice commovens, nostris oculis apparuit. Credidisses vesicam urinariam mutasse locum, & prout de matrice narrant aniculæ, per œsophagi portam quæsivisse exitum, adeo quidem ille saccus similis erat amplæ vesicæ aqua turgidæ. Dissecto demum hoc marsupio quatuor ferè libræ limpidissimi seri effluxerunt, & cor flaccidum, quod in sinistro thalamo parvum fibrosum polypum custodiebat, in conspectum venit. Quis hic Pericardii hydropem in dubium vocaret, nisi talpâ cæcior? & quis, etiamsi Lynceo perspicacior eum in vivo corpore prævidisset? tam fallacia sunt signa, quæ morbos pericardii spectant, ut ipse sagacissimus *Zacutus Lusitanus in Praxi med. admirandâ lib. 1. obs. 138.* haud erubescat fateri, se ejus inflammationem â pleuritide verâ post mortem demum potuisse distinguere, qualem ignorantiam circa pericardii tabem â tumore duriusculo ibi invento *obs. 187.* pariter videtur innuere. Cum non minus incerta, ne dicam, impossibilis est. Non quidem amplius in tenebris versamur circa scaturiginem lymphæ, quæ ad fibras cordis extimas blandâ suâ alluvie flexiles servandas & adversus rigi-

ditatem â resiccatione alioquin metuendam defendendas naturaliter, præter naturam autem in antea recensito hydrope particulari invenitur, postquam accuratè examinatâ internâ pericardii superficie *Lowero* teste innotuit, eam ad instar foliorum hyperici innumeris foraminulis perviam esse, ut conceptu non difficile sit, quomodo ex horum, uti cæterorum corporis nostri lymphaticorum vitio hydrops enasci possit. Prostant etiam *in Diemerbroekii lib. 2. Anat. c. 6. Harderi Apiario obs. 5. Bartholini act. med. obs. 89. an. 71. & 72. Christiani Hein. Erndl Archiatri Regis Polon. amici longo usu probatissimi obs. 141. Cent. 2. & 3. Ephem.* & alibi exempla ejusmodi hydropis, sed nullibi methodus, quæ lympham ibi abundantem educere nos doceat. Redeamus itaque ê diverticulo obscuro in viam magis patulam, scilicet ad reliqua in thorace nobis detecta. A tergo portentosi hujus pericardii latuerunt ab ipso retrorsum pressi pulmones, quorum sinister lobus steatomatibus deformis, & superius, ubi claviculam respicit, ulcerosus non aliter ac si â canis morsu fuisset dilaceratus, dexter verò passim putredinis stigmate notatus. Tandem curiosissimis phænomenis annumerandam censeo magnarum strumarum seriem, quæ â parotide dextrâ incipiens per idem latus asperæ arteriæ continuo nexu serpsit usque ad principium ramificationum, ubi finiit cum durissimâ glandulâ globi instar rotundâ. Tota illa scrophularum catena cultro examinata ubique fermè sebaceam continebat materiam, exceptis paucioribus phlegmate coloris nigri gravidis & aëris fistulam tam arctè obsidebat, ut fortiter comprimendo nervum recurrentem raucedini causam suppeditasse probabile sit. Hoc ut credam me commovet interna asperæ arteriæ & laryngis tunica, quæ sine omni labe nihil ad raucam vocem contribuit, nec plethora in emaciato nostro corpore locum habuit, cujus tanquam rarioris raucedinis causæ *Excellentissimus noster de Helwich in Ephem. Cent. 1. & 2. obs. 162.* me-

meminit. Omnium verò maxime in opinione meâ confirmor â *J. Diemerbrock*, qui *obs. 9.* in Rustico ob nervum recurrentem transversim præcisum annotat raucedinem incurabilem, & inprimis *ab Hildano Cent. 3. obs. 35.* cui innotuit puella, quæ ex dextrâ colli parte laborabat strumâ asperæ arteriæ & nervo recurrenti adeò tenaciter adherente, ut respirationem & vocem utcunque interciperet, ne dicam de *Galeni l. 5. de usu part. c. 6.* & aliorum observationibus â læso illo nervo v. g. ob strumarum excisionem mutos fuisse factos docentibus. Ad infimi ventris viscera me convertens omnia secundum naturæ regulas inveni constituta, præter intestinum rectum, cujus extrema pars ad palmæ longitudinem putredine corrupta ac ulcerosa, exterius verò circum jacentes glandulæ strumosæ & induratæ erant. Hac ratione inferius guttur imitabatur superius, nec fuit dubium, utriusque glandularum destructionem invicem multum habuisse commercii.

XVII.
Historia Pleuritici curati.

INternarum partium inflammationes â medicis acutorum morborum titulo insigniuntur, ex hoc forsan acumine, quod acutiores sint ipso ense, dum in vitam hominum agunt & quandoque subitò stragem nimis funestam edere solent. In tres prælium, non tam magno te expones periculo, nec tam vario Marte pugnabis, quam si tibi res sit cum morbis acutis, utpote quorum prædictiones ipsemet *acutissimus Cour l. 2. aph. 19.* maximè dubiosis adscribere non veretur. Desudarunt quidem per tot secula artis nostræ Heroes in profligando infensissimo hoc humani generis hoste, multum tamen negotii nobis adhuc relictum, ut nullus non Medicorum Palæstram inveniat, in quâ ingenii vicem exercere potest. Dabatur mihi occasio descendendi in arenam

renam cum Pleuritide verâ inter acutas febres nulli ſecundâ, ut & *Helmontio* pleura furens audiat: aggreſſus adverſarium armis alias conſuetis, nihil penitus effeci, usque dum ſtrategemati intentus, velut in arenâ, ut ajunt, conſilium cepi. Hujus pugnæ hiſtoriam hic recenſere, & poſt triumphum victoriam canere Lectori haud ingratum fore confido.

Vir 30. annorum *Georgius Gell* apud fratres murarios bajulum agens die 1. Octob. an. 1716. attollendo ultra vires ſuas onus experiebatur in ſiniſtro thoracis latere dolorem punctorium & ſequenti die ſanguineum ſputum, quod nemini mirum videbitur, qui â riſu pleuritidem obortam ex *Act. Haffm. vol. 2. obſ. 96.* intellexit. Pauperie tamen coactus per quatuor dies labores ſuos adhuc ſuſtinuit, ab hoc verò tempore horror, æſtus continuus, dolor major, tuſſis, difficilis reſipratio, ſputum cruentum, deliria ipſi interdixerunt ſervitia. Cum alio deſtitueretur auxilio non incongruè confugit ad ſanguinis miſſionem, quam ex triplici fonte, venâ ſcilicet medianâ, ſalvatellâ ac raninâ prolicere conſultum credidit. Præterlapſis octo diebus finiit quidem ſputi cruenti exſpuitio, ſucceſſi autem ſputum tenaciſſimum ac maximè fœtidum, reliquis ſymptomatibus nulla halcyonia concedentibus. Die 13. Octobris in Noſocomium admiſſus intenſiſſimo æſtu, ſputo putrido, tuſſi difficultate ſpirandi cum frequentia & dolore lateris dextri, deliriis, aſpera linguâ, ſiti, omnimodâ virium proſtratione, lotio turbido, pulſu parvo & duro haud occultare poterat veræ ac acutæ Pleuritidis præſentiam. Quapropter ex communi Practicorum penu depromſi, quæ in curandâ Pleuritide primas tenent, applicando externè pectori unguenta & cataplaſmata, linguæ mucilagines, internè concedendo potum largiorem tepidum, Decocta pectori dicata cum mixturis ac pulveribus reſolventibus &c. quali ſuppellectili medica ſcripta & armamentaria paſſim abundant,

dant. Enimverò æthiopem lavaſſem unice huic viæ inſiſtendo. Acutisſima certe morbi tela modò lethales inſidias ſtruxerant, cum recordarer adoleſcentis Bregenſis ſtudiorum cauſa Vratislaviæ degentis & ante 16. annos deſperatâ pleuritide laborantis, cui tunc temporis medicinam feliciter faciendo ſimplici remedio pleuripnevmoniæ incendium extinxi & ſanitati ex voto reſtitui. Eadem itaque methodo procedendo exhibere juſſi Pleuritico meo pulverem ex nitri depur. ſcrupulo ſemis ac camphoræ gr. j. fortisſimis inflammationum atque malignitatis debellatoribus conſtantem, qui quolibet trihorio repetitus adſtantibus admirationem & ægro quatuor dierum ſpatio ſanitatem produxit. Cum poſtmodum omni periculo vacaret, per aliquot adhuc dies circa noctem ſaltem hoc pulvere fuit uſus, & lætus die 11. Novemb. nobis valedixit, crudeles mortis aculeos ab acuto morbo infligendos antea prævidens.

Vererer equidem tam vile epulum delicato noſtri ſeculi palato apponere, optimè gnarus ipſi vix aliud arridere, quam quod nitido auri ac margaritharum ſplendore corruſcat, atque pretiosâ raritate ſe commendat, etiamſi pompoſæ hæ ſolis lunæque atque omnium gazarum Tincturæ ex ferro paratis minimè accedant, & uti ſplendida delubra feles ſimiasque, intellige Medicinæ proſtibula foveant. Poſtpoſitâ tamen hâc agyrtarum fæce ex amore erga egentem proximum diffiteri nequeo, me reiteratâ experientiâ in acutis ac inflammatoriis febrib9 prælaudatum pulverem dicto modo adhibitum omni auro & panacæâ præſtantiorem obſervaſſe. Non poſſũ non, quin inter plura duo adhuc proferam experimenta, quæ ineunte 1717. anno, unum in illuſtri fœminâ gravidâ ætat. 20. ann. variolis cohærentibus, alterum in puero quatuor annorum rubeolis & morbillis acutè decumbentibus facere licuit. Illa ſeptimo morbi die tantum patiebatur ptyaliſmum per 11. dies continuatum, ut quâlibet horâ ultra libram limpidiſſimæ nulliusque odoris

salivæ profluerët; sed deliria cum reliquis continuæ seu
acutæ signis die morbi undecimo pessimum omen præsagi-
ebant, quod tamen DEO assistente decinavimus prædicto
pulvere singulis trib9 horis dato. Cũ enim assũsisset aliquot
hujus doses, æstus atque deliria cessarunt, & etiamsi die 16.
morbi ob enormem procul dubio ptyalismum quinq; men-
siũ embryonem nullatenus variolosum sine præviis abor-
tus indiciis excluderet, nihilominus tamen integræ sanitati
restituta fuit. Puer verò Parentibus apprimè charus septi-
mo a primo morbi insultu die æstum atrocissimum, sitim,
agrypniam, deliria, jectigationes continuas, linguam muco
viscido tectam, subsultus tendinum, pulsum durum ac fre-
quentem passus & digitis floccos colligens de morbo acuto
& internis inflammationibus non dubitandi ansam dabat.
Nihil spei amplius superesse videbatur, usque dum ordina-
vi, ut etiam singulis tribus horis ipsi propinaretur pulvu-
sculus ex nitri depur. granis decem & ras. camphoræ gr. se-
mis, & licet post quamlibet dosin major symptomatum
vehementia & quasi lucta intra corpusculum per dimidi-
am horam notabilis sequeretur, attamen ejus usus per tri-
duum continuatus induxit, sanctè testor, profundissimum
somnum verè criticum, felicem exoptatissimæ sanitatis re-
stauratorem.

XVIII.

Historia medicamentorum antiquartanorum.

HArveo nemo cordatus in malam partem vertet, quod *ar-tem curandi per exspectationem* exponens sarcasticè tradu-
cat medicastros ignorantiæ asylum in uno eodemque medi-
camentorum genere quærentes, eosque notâ characteri-
sticâ â vexillo, sub quo militiam faciunt, lepidè distinguat,
producendo *ferreos*, *aquarios*, *asino-Lanio-Doctores*. Ex-
probramus potius eum in tam fertili segete sterilem fecisse
mes-

messem, relicto nobis circa horum monstrorum progeniem nimis copioso adhuc spicilegio. Nonne in illorum cohorte sibi jure meritoque locum vindicabunt Doctores vomitorii, qui sine discrimine omnes ægros ipsissimos etiam consumatos phthisicos ad emeticorum supplicium condemnant: Mercuriales, qui salivatoriam curam levissimis etiam morbis opponere audent: Avenacei, qui equorum pabulum, famosum illud avenæ Decoctum, absque prævia morbi cognitione cuivis adventanti propinant: caccatorii (sit venia verbo) qui medicinam universalem se in Decocto purgante invenisse stultè credunt: Aurati, ne dicam auriti, qui omnes morbos auri Tincturis incrustando sibi viam ad Magnatum atria audacter sternere satagunt; & reliqui ejusmodi farinæ homunciones? Offerrent se adhuc astutiores, nescio an doctiores? qui non tam in medicamentorum, quam etiam in morum fraudibus Praxeos emolumentum statuunt. Tales sunt Doctores Thrasonici, qui portentosa audacter loquuntur & vix trivalia præstant; serviles ab *Harveo Praxin medicantes* dicti, qui obstetrices, vetulas, clysmatum applicationem exercentes & infimæ sortis homines pretio precibusque corrumpunt, ut inhianti lupo oves adducantur; calumniantes, quorum studium est clanculum Collegæ suo insidias struere reddendo maledicâ linguâ apud ægro adstantes suspectam alterius curam; & chamæleontei Doctores, qui omnium horarum homines instar tritonis vago animo omnium favores ac auram popularem captant singulis ad placitum, nulli fideles Æsculapii spurii. Sed quid moror in enumerandis ignominiosissimis hisce Reipublicæ medicæ nominibus ad Garamantes proscribendis? Sufficiat interim ad cognoscendas ejusmodi technas *Machiavellus Medicus* olim a *Jacobo Barnero*, uti ex *Lilienthalii Introductione Machiavellismo litterario præfixa* intelleximus, conscriptus, usque dum Commentarius, quem speramus, clariora edocebit, & forsan illis, quibus imperium est, calcar addet hanc tollere

 pestem,

peſtem, nec tantum tolerare malum. Si nobis, tales nugivendulos meritò nauci pendentibus, calculum addere liceat, optandum eſſe ſemper credidimus, ut quivis medicorum non ex medicamentorum abuſu, nec morum aſtutia, ſed ex notitia morborum exquiſita famam & nomen demereri ſtudeat. Bone DEus! quantum momenti accederet arti noſtræ, ſi ſeculi genius & hodierna medicinæ fata ita comparata ſint, ut quilibet medicorum non niſi unico morbo, hic Ictero, alter Apoplexiæ, alius Paſſioni hyſtericæ &c. animum applicaret, & in emendâ unius morbi naturâ ſe occuparet. Haberemus poſtmodum glorioſo nomine Doctores apoplecticos, Ictericos, hyſtericos &c. qui rebus ſic ſtantibus Medicinæ magno decori ac toti humano generi ineffabili emolumento forent. Dantur certè morbi adeò difficilis notitiæ & ſonationis, ut tota ætas Medici, ſi centum viveret annos, ad unius ſcientiam ritè abſolvendam non ſufficeret. Exemplo ſit vetus noſtrum ſcandalum *Febris quartana*, quam *curare* ex *Pechlini* ſententia *lib. 11. obſ. 21. plus eſt, quam Dæmonum illud genus, quod* νηστείαις καὶ δεήσεσι expellitur. Nonne quilibet medico aſſurgeret, qui verè antiquartii Medici titulo dignus, quartanas omni anni tempore citò tutoque exſtirpare poſſit? Experimur proh dolor! quotannis *Hippocratici aphoriſmi 25. ſect. 2.* veritatem: *Autumnales quartanæ longæ, & maximè quæ ad hiemem pertingunt:* quæ certe nobis crucem adeò figunt, ut immenſa medicamentorum dictæ febri dicatorum farrago nullius fermè ſit uſus. Cum in Noſocomio ſæpius nobis occurrerit occaſiò periculum faciendi de intricato hoc morbo ejusque antidotis, eorum hiſtoriam texere operæ pretium duco.

Antequam verò medicamentorum mentionem injiciam, ê re erit febris hujus geneſin ex communi ſententiâ repetere, ſcilicet quod fomes mali conſiſtat in diſcraſiâ humorum viſcidâ ac pituitoſâ, â cujus infarctu mox hepatis, mox lienis, mox pancreatis, mox tenuium inteſtinorum glan-

glandula obruuntur, & partium ſolidarum tonus deſtruitur. Teſtes allego cadavera quartanis necata, quorum viſcera adeò labefactata fuêre, ut obſervaverint collectore *Bonetto in ſepulchreti ſect. 1. obſ. 29.* lienem atro turgentem & aduſto ſanguine & in ſubſtantiam piciformem ſæpè reſolutum, illum cum vena portæ hujusque ramis â glandulis vicinis tumidis compreſſum, putridum & corruptum, præter ſolitum triplo majorem, ſanguine nigro, viſcido infarctum; Pancreas ſupra infraque ut turgidum & extuberans, ſic intus ſordido pure ac viſcidâ pituitâ impendio nimis infarctũ, cujus pondere depreſſis occluſisque venæ cavæ & arteriæ magnæ tunicis, viſcerique huic ſuppoſitis corpus emarcuit; *obſ. 32.* præter aliorum viſcerum vitium pancreas durum & ſcirrhoſum, cujus ductus Wirſungianus atro ſanguine turgebat; & ex *Harderi relatione in apiario obſ. 60.* hepar inſolitæ magnitudinis ſubdurum, cujus naturalem magnitudinem lien molis ſuæ ratione optimè æquavit, omentum putridum, inteſtina lumbricis referta, ſanguinem fæculentum & tartareum lienis cellulis inciſis proſilientem, ſerum quoque acidis ſalibus prægnans & magnâ copiâ in abdominis cavo ſtagnans &c.

Ad corrigendam hanc febris cauſam anteceſſores noſtri leniſſimis quondam procedebant, non attendentes morbi diuturnitatem, etiamſi protraheretur ad plures, 9. 13. 22. 24. 33. imò 48. annis, prout videre eſt in *Ephem. Dec. 2. a. 8. obſ. 45.* Methodum eorum ſatis ſecuram â *Joh. Cratone* diſcere poſſumus, cujus propria verba ex *Epiſtolarum â Laurent. Scholzio collectarum Epiſt. 112.* hic communicare juvabit. *Ego*, inquit, *meis ægris (quartanariis) aliquandiu exhibeo ſingulis menſibus ſub noctem Decoctum raparum, cum butyro. Proſunt enim rapæ â manifeſta & ſpecifica vi, quia humectant, humorem melancholicum ſuaviter aperiunt & leniunt. Deinde do ſuccum cardui vel in forma pilularum, vel in ſyrupi, & cum video materiam probe eſſe coctam, expurgo primum infuſo cum ſyrupo violaceo, vel de pomis, de-*

 inde

inde ægarico, postea exhibeo extractionem heallebori ad ℈j. *vel* ℈ß. *in debilioribus, & hoc modo plurimos sanavi.* Quid rationi magis consentaneum sit hac methodo, non video, successive enim ab onere liberat obstructas glandulas & extractis postmodum amaris robur, quo ad meliorem lymphæ secretionem indigent, illis reconciliat. Attamen nostra ætas tam longæ moræ impatiens certe respueret curam integros annos requirentem & ex pravâ hujus seculi consuetudine singulis mensibus novos accerseret medicos, usque dum ex multitudine medentium pereundum esset ægro. Quapropter nobis necessitate coactis incubuit omnem movere lapidem, ut nova excogitentur subsidia antiquis efficaciora & ingenio præsentis ævi accommodata. Lubens prætereo illa remedia antiquartanaria, quæ ab autoribꝰ passim collecta quandoque casu auxilium attulisse crediderunt, qualia sunt annotante *Crugero Ephem. Dec. 2. a. 6. obs. 40.* infusum stercoris anserini in vino fortiter expressi; *Corbenio Dec. 1. in append. ad a. 6. & 7.* Cor leporis ac vinum sulphuratum; *Paulino in append. ad a. 5. Dec. 2.* haleces, ventriculus suillus tostus & stercus caninum masculinũ in vino aut spir. vin. dilutum; *Hagendornio Dec. 2. a. 6. obs. 144. & Wedelio in Pharmac. acroamat. l. 3. sect. 2. c. 7.* pediluvium; *Grundelio Eph. Dec. 2. a. 8. obs. 104.* bufo in lacte coctus; *Lanzonio Dec. 2. a. 10. obs. 28.* Coitus venereus & similia. Nec topicis inhærere animus est, quibus patrocinatur *Helmontius in opuscul. medic. inaudit. tract. de febribus* asserere non erubescens se per Emplastrum centenas quartanas, licet autumnales tuto absque recidivâ sanasse, postquam quotidianâ Praxi edoctus observavi talibus â ratione longè distantibus remediis utplurimum adscribi effectum, quem nunquam meruerunt. Itaque hæc mihi suspecta semper seposui, pertæsus voluntariè Sisyphi volvere saxum, cum mihi satis tædii sit, si, quod sæpius accidit, in expertis medicamentis spes me frustretur. Magis certa quærens, periculum circa famosissimum Corticem Peruvia-

vianum pluries ſubivi, dando eum præmisſis laxantibus & digeſtivis ſalibus, non una tamen formâ nec pari ſemper energiâ. Potentius, fateor, operatur hic cortex, ſi in ſubſtantiâ, vel ut pulvis, cui pulverem ſtomachalem Birckmanni, ſalia & pro gratia ſaporis elæoſacchara admiſcere ſolemus, vel ut morſuli cum aromatibus & ſaccharo aquis fragrantibus ſoluto fuſi, vel ut pilulæ unâ cum extractis amaris & floribus ſalis armoniaci ope mucilaginis tragao-formatæ, vel ut Electuarium (inter quæ palmam aliis præripit illud, cujus deſcriptio quidem in *Archiatri Regii Stahlii Obſervationum chymico-phyſico-medicarum Menſe Novemb. p. m. 243.* exſtat, nihilominus tamen â Magni alicujus Principis Archiatro ante aliquot annos Cizam miſſo caro pretio empta fuit) reiteratâ doſi exhibentur. Verum ſi hoc modo ad cachexiam diſpoſitum infarcire velimus, lignoſæ ſeu terreſtres corticis particulæ nimium conſtringentes tam circulationi humorum, quam vitali principio inſervientes tubulos adeò anguſtant, ut humorum motus fiat ſegnior & ſuccedant viſcerum obſtructiones Icteri, Hydropis, Tabis, mali hypochondriaci milleque malorum autores. Præterea nunquam certi erimus de febris emanſione, multoties enim poſt prædicta febrifuga recidivam vel nullâ datâ occaſione, vel ex tempeſtatum alteratione me obſervaſſe recordor. Majori ſemper fiducia aggreſſus fui chinata liquida, quæ ſe præ reliquis commendant guſtu atque ſecuritate, eoque nomine primas tenent, & quantum ſcio, primum etiam ſub hoc ſchemate ab *Anglo Talbotio Pariſiis* producebantur. Nunquam quidem Talbotium pro una doſi infuſum ex corticis unciis duabus in libra ſemis vini albi teſte *Blengy Zodiac. gall.* exhibentem imitari conſultum duxi, cum & ſæpius febrim infuſo ex duabus drachmis chinæ chinæ aliquot unciis vini malvatici & parum caryophyllorum compoſito ante paroxyſmum propinato feliciter profligare potuerim & ad præcavendam febris recidivam mihi ſuffecerit vinum medica-

tum,

tum, cujus libra unica ſemis memorati corticis erat impræ-gnata. Hâc viâ incedens & introitu curæ â leniter laxanti-bus facto raro aberravi â ſcopo. Alia tamen mihi excogi-tanda erant pro ægris Noſocomii, exſpectantibus adhuc â divinâ providentiâ vini fundationem. Cum nullus hic palati, ſed unicus ſanitatis reſpectus valeat, beati anteceſ-ſoris mei *D. Caſp. Pezoldi* experimenta de aſaro ex *Obſervatio-nibus ſuis medico-chirurgicis obſ. 57.* renovare conſtitui. Ut in-noteſcat gemina procedendi methodus, ſciat Benevolus Lector, radicis aſari drachmam ſemis vini Auſtriaci unciæ unius ſemis infuſam & per aliquot horas absque omni calo-re digeſtam provocare utplurimum aliquot vomitus aut ſe-ceſſus; hanc die è febri liberâ mane ebibere juſſi: Si eadem radicis quantitas cum prædictâ vini quantitate decoquatur avolat vomendi vis, ſeu particulæ ſulphureo-ſalinæ, relictâ diaphoreſi. Ordinabam itaque, ut calida hæc infuſio ho-râ unâ ante paroxyſmi acceſſũ hauriatur, quam potionem ſtatâ horâ ter aut quater repetii, etiamſi paroxyſmus jam evanuiſſet. Succeſſus ſæpius voto correſpondebat, non tamen ſemper, ut duriori nodo duriorem adhuc cuneum quærere deberem. Me minimè fugit, quanta in attenuan-dâ humorum viſciditate mercurius polleat potentia, & quam maxime in deobſtruendo fibrasque corroborando excelleat limatura martis, ut exinde ſingularem ſpem con-ceperim ex pulvere, quem ab *Excell. Hoffmanno in diſſ. de cura quartanæ* contra quartanas laudatam inveni. Porrigebam illum aliquoties quartanario, ſed quales excitaverit anxie-tates, vomitus & quam vehementer febris inſultum auxe-rit, exprimere nequeo. Oportet igitur accedere *Magni Borri-chii* experientiæ, videntis quartanam febrem poſt diutur-nam violentiam ſopitam, tandem reſuſcitatam ab uſu mercurii, ut ipſi ex allato hoc exemplo ſatis illuxerit, quam improbum & penè invictum ſit in veris quartanis acidum. *Vide Act. Haffnienſ. Vol. 5. obſ. 66.* Quem tunc præſcripſi, pro-

ſcri-

ſcriptus impoſterum erit pulvis â limitibus Noſodochii cum reliquis martialibus in quartanâ commendatis, utpote etiam horum uſum exſtirpationi febrium inſufficientem, & unicè ſalutarem experior ſublata penitus febre in roborandâ fibroſarum partium atoniâ. Contigit etiam mihi plus una vice quartanam vincere alumine tincto Mynſichti, inprimis ſi hujus ſcrupulo ſemis, idem pondus raſuræ nucis moſchatæ combinaverim & appropinquanti paroxyſmo præmiſerim. Sed & hic cauti ſimus, cum fortiora talia adſtringentia in impuris corporibus veneni induant naturam. Omnium maximè nobis caveamus â talibus, quæ humorum motui remoram injiciunt, ſi lotium die intercalari turbidum, febrili autem & quandoque toto febris concurſu limpidius appareat, id enim indicat præſentem ad internos ſpaſmos diſpoſitionem, quæ â præpoſtero conſtringentium uſu in detrimentum ægri majora ſumit incrementa. Meritò alumini tincto præponendum habeo regulum antimonii medicinalem, cujus virtus antifebrilis ſæpiſſimè in quartanis profuit, nunquam, me judice, nocuit. Moris mihi eſt regulo huic medicinali ad ſcrupulum unum offerendo addere pulverem antifebrilem D. Wedelii & extra paroxyſmum aliquoties de die exhibere, quo & correctioni materiæ & typo febrili proſpexi. Abundo etiam experientia, quam ſæpisſime confirmatam vidi ab uno ex meis artis pharmacevticæ addictis, qui vulgo multoties quartanam diſſipavit mixtura ex Eſſentiæ abſynth ſimpl. drachma una & ſpirit. vitriol. gutt. decem aſſumta antequam frigus imminebat. Quod mirandum chinæ purgantibus admixtæ effectum in hoc morbo concernit, provoco ad *obſervationem de medicamento antifebrili empyrico Cent. 5. & 6. Ephem.* â me communicatam. Paradiſi grana piperi æmula mihi multum auxilii aliquando ſuppeditarunt, ſiquidem domeſticũ hoc antifebrile, poſtquam omnia irrito conatu eſſent adhibita, â quindecim granis ſucceſſivè ultra triginta aſcenden-

do febres ad incidas redegerunt. Possem adhuc Egrenses acidulas tanquam summum antiquartanarium allegare remedium, haud ignarus, has in maximè desperato casu diluendo, abstergendo, confortando primas vias utramque sæpius fecisse paginam, nisi respectu antea memoratæ veterum methodi cramben bis coctam apponere vererer. Si tamen dicendum quod res est, haud dissimulare possum, quod his tepidè propinatis quartanæ omnibus remediis reluctantes tandem jugum subiverint, eradicata insimul morbi minerâ. Cum cardo totius curæ consistat in primarum viarum abstersione aut evacuatione, quæ certè virtutes suas ulteri9 ad ipsa insimul viscera exserit eorũ obstructiones per motus humanorũ acceleratos reserando, & in leni adstrictione, cogitatũ fuit de remedio, quod unâ quasi fideliâ duas dealbaret parietes: & ecce! innotuit tale, quod Nosocomio hic locum meretur. Reverendi Dom. F. F. Misericord. ex eâ, quâ feruntur in egenorũ ægrorum salutem misericordia Panacæam hanc antiquartanariam mox candidè revelandam in Nosocomiis suis publici fecerunt juris, ut & hac ratione â R. D. F. Constantino Pharmacopœo docto meæ concrederetur experientiæ multoties hactenus saluberrimè institutæ. Componitur verò efficacissimus pulvis, quem mercurium vitæ cœlestem appellare amant, ex vitri antimonii pulverisati & olei vitrioli partibus æqualibus, oleum hoc ad siccitatem usque â vitro antimonii abstrahitur, iterumque eadem ejusdem olei quantitas affunditur & abstrahendo & affundendo septies proceditur. Hoc modo pulveri præparato addi solet spiritus, qui ex spiritus vini rectificati libra una & spiritus mastich. unica una per quatuor dies digerendo fit, & trium dierũ digestioni committitur. Abstracto postmodum vel decantato spiritu pulveri recens iterum. Spiritus effusus ad deflagrandum accenditur, quæ deflagratio bis erit repetenda commovendo interim spatula pulverem, donec flamma cessat, Pulvis, qui

qui restat, bene exsiccatus admirandi sane est effectus, si ejus vel granum unum semis vel grana duo cum amaricante aliquo extracto v. g. centaur. min. in pilulam redacta duabus horis ante paroxysmum quartanario exhibeantur, hac tamen lege, ne per bihorium aliquid superbibatur, utpote quo infringetur medicamenti energia. Vix deglutitâ pilulâ leniter sequuntur & vomitus & secessus, & sudor, &, quod omnium optimum est, paroxysmus exulat, si, quod raro accidit, non primâ, altera certe vice, nec memini ulli latentis miasmatis febrilis semina curas fecisse. Habes hic, Lector, euporiston plane divinum tam experientia, quam ratione comprobatum: illius testes provoco ægros famosâ pilulâ restitutos; hanc nemo ambigere poterit, qui vel uno oculo antimonii atque vitrioli mysteria inspexit. Ut cætera silentii peplo involuta relinquam, haud vanam vitriolo inesse virtutem antifebrilem observavi in arcano, sic dicto, vitrioli varii generis febribus obicem ponente, quod *Celsissimus Pol. Princeps Reg. Jacobus* ex Italia accipiens clementissime mihi communicavit, & antimonii crudi Decoctum quartanas curare nos docet *D. J. de Muralto in Ephem. Dec. 2. a. 8. obs. 7.* ut hac ratione vitriolum atque antimonium artificiose invicem combinata non possint non existere efficaciora. Abrumpo interim filum contentus medicamentis, quæ omnium oculis exposui, usque dum lampada tradere potero meliora offerenti, qui certe mihi erit magnus Apollo & antiquartius Heros.

XIX.

Historia Calculo renum laborantis.

SI ad lydium lapidem calculorum in microcosmo latentium diagnosin revocemus, vix scyllam atque charybdim evitare datum est; aditu enim ad evidentem eorum cognitionem ubique fermè præcluso, non possumus non, quin scrupulis obviis haud raro illidamus. Deberent quidem calculo-

culorum in vesica urinaria hospitantium signa minus esse obscura, cum vix ad hanc lapicidinam ipsissimis instrumentis exploratoriis existat satis patula; verum quem fugit, etiam in prudenti illorum indagatione sæpius deceptos fuisse medicos pariter atque lithotomos multum exercitatos. Nonne vesica lapide intus obducta, scirrhosa, carnosis tuberculis instructa, vermibus repleta &c. non nunquam mentita fuit calculum? qualia exempla præter alios *Celeberr. Pechlinus* erudite proponit *in obs. 2. & 3. calculus mendax.* insignita. Et vice versa, nonne calculo præsente ejus existentiam certo statuere hæsitamus, prout sæpius apud ægros, quorum pluribus calculis gravida erat, animadverti, cum alius scrophum, alius vesicæ scabiem, alius crustam lapidosam parietibus adhærentem præsupponeret. Multo magis adhuc cœcutimus in rerum calculis, quoniam multa horum symptomata cũ aliis morbis coincidunt. Huic opinioni calculum, suum addet unus ex nostratibus *Georgius Werwas*, Bajulus, cachetici habitus Vir, qui ultra anni spatium febri quartana vexatus, ea tandem liberatus Mense Novemb. a. 1716. febrilem horrorem & infta umbilicum experiebatur dolorem punctorium. Cum hæc ipsi acciderent, insimul cum lotio effluxit materia albicans & mucilaginosa satis copiose, quam cohærentem glutinis instar ex matula protrahere poterat. Post talem urinam semper sequebatur floridi sanguinis fluxus impetuosus, acsi vena secaretur. Aderat dolor dorsi, sitis intensissima, inter mingendum stranguria, respirationis difficultas usque ad suffocationem, agrypnia, alvus semper obstructa nisi clysmate aperiretur & summa anxietas. Mox calculum vesicæ, mox hæmorrhoidalia conamina, mox pectoris morbum, mox vesicæ hæmorrhoides, de quibus *Excellentiss. de Helwich Eph. Dec. 3. a. 9. & 10. obs. 119.* legi meretur, mihi imaginatus, diu in cassum laboravi. Ad declinandam modò imminentem suffocationem die 16. Decemb. venæ media-

cæ

cæ sectionem impero, cum medicamentis inflammationi internæ resistentibus, hisque effeci, ut respiratio esset liberior, æstusque cum siti imminueretur. Nunquam vero ejusmodi spectaculum vidi, quale mihi obtulit sanguis ê vena missus. Credidisses patinis inesse ceram flavam, cum ovum ovo non possit esse similius quam prædictus sanguis quoad colorem & consistentiam ceræ, nec sanguinis ordinarii vestigium apparuit, nisi ea parte, qua patinas attingebat, ubi quasi folium tenuissimum sanguinei coloris adhærebat, reliquo contento, quod duos latos digitos altitudine excedebat, gelatinam monstrante. Provenire hanc gelatinosæ partis in sanguine separationem â membranarum inflammationibus jam olim credidi, considerato inprimis Pleuriticorum sanguine ex venarum sectione collecto, faciliusque me modo concipere persuasus sum polypos ejusdem naturæ, quales in cordis thalamis sæpissime hactenus occurrisse recordor; Interim tamen modum, quo natura tam enormes roris vitalis dissolutiones molitur, & quo vita cum hac sanguinis dyscrasia diu persistere valet, optarem ab aliis expiscari. Confer. *Pechlini obs. 13. lib. 2. de sanguine albo ex incisa vena.* Sed revocemus ad calculum sequentia calculosi nostri fata. Pectore melius constituto & dobor & durities & inflatio totum abdomen, maxime vero sinistrum hypochondrium occupabat, ut jam de statu morbi certior, judicarem, calculum ex rene intrasse ureterem. Quapropter Decoctum contra calculum For. Tint. rad. pareiræ bravæ cum Tinctura Tartari paratum, & pulverem ex testis ovorum, nitro depurato cinnab. nat. compositum atque externe cataplasma die 18. adhibere incepi, quibus continuatis die 24. in vado se esse dixit æger, cum comedere, dormire, mingere ex voto valeret. Sequenti nocte lotium excernebat non multum dissimile sanguini, de quo antea sermo fuit, hosque parcius & maximo cum cruciatu. Ineunte die innotuit ipsi tuberculum durum infra penis radi-

 cem

cem manibus palpabile, ubi etiam de dolore urente conquestus fuit. Postquam & ibidem Cataplasma applicabatur, injecto insuper in urethram lacte tepido die 26. Decemb. excretus calculus â multis arenulis compositus satis porosus una cum imbre quasi sabuloso hac vice miseriis colophonem addidit. Post semestre spatium mihi retulerunt, recidivam iisdem symptomatibus stipatam passũ fuisse hunc virum, quæ eo magis notanda, quod iterum 14. dies ante exclusionem calculi observaverit fluxum materiæ quasi chylosæ, cessantem penitus ejecto calculo.

Gelatinosa hæc saburra, quæ, tametsi ex alio fonte deducenda, nunquam non concomitatur vesicæ calculos, me meritò sollicitum fecit, ne aliquando & hujus genesi occasionem præbeat, quo morbo si permaneat immunis albo notandus erit calculo noster calculosus. Quid enim ad conglutinandum sabulum renale plus contribuere potest tali magmate? quod in renibus calculos formans, probabilius adhuc in vesica ob diuturniorem morã similia coagula componere videtur. Nec impedit, hoc viscidum separari â sanguine in renibus, cum alterum illud, quod vesicæ calculis commune est, ex ipsa vesicæ tunica glandulosa exsudet; Sufficit consistentia ejus spissior ac glutinosior producendis glandulis apta. Hoc certe gluten albicans toto cœlo distinguit præmemoratum nostrum lapidem ab aliis lapidibus renalibus, de quibus tanquam *mirabile* aliquid prædicat *Pechlinus obs. 15. quod quantumvis magni, plerumque tamen vesicam transeant, & â corpore exeant, cum illi in vesica generati, etiam minores utplurimum subsistant, crudelemque lithotomi manum exspectent.*

XX.

Historia Rheumatismi.

SCorbuto atque catarrho tam vastus patet campus, ut eos certis finibus circumscribere multarum difficultatum res censeatur. Parum certe abest, quin tota morborum cohors


ad Hist. 20.
Saccus
Saccus

cohors nonnullis ſub generaliſſimo ſcorbuti conceptu veniat, ſub quâcunque mundi plagâ originem ducat inſidioſus hoſpes. Non ſufficit diſtinctio in calidum & frigidum, meridionalem & ſeptentrionalem, ſed & Icterus, Hydrops, quartana & centeni alii morbi, inprimis qui cutis vitia monſtrant, ſcorbuto parere vulgo dicuntur. Ipſos catarrhos ab ampliſſimo hoc Dominio excludere vix conceditur, etiamſi haud pauciori comitatu ſtipati ſint, & ſingulis noſtri corporis membris quaſi jus dicant. Exercent ſanè catarrhi imperium in corpus â capite usque ad calcem, invadendo caput ophthalmiâ, coryza, faucium morbis &c. pectus angina, tuſſi, raucedine &c. & ut alia taceam, artus arthritide, rhevmatiſmo, affectu adeò pertinaci, ut hanc catarrhi ſpeciem peculiari inſignire obſervatione nullus hæream.

Ex communi ſententia Rhevmatiſmus provenire creditur ab extravaſatione lymphæ ſeu ſeri vitioſi in parte qualibet corporis, non ſolum in articulis, prout in Arthritide, ſed & in mediis inter articulos ſpatiis, muſculis eorumque membranis ac ipſis perioſtiis ob moram ibidem aceſcentis, & ſe coagulantis, & dolorem vel cum, vel ſine tumore excitantis. *Diffuſisſimus Catarrhorum Explicator Conrad. Victor Schneider* ex *Hippocrate* Catarrhi ſanguinis mentionem facit, quem ut ſeri ſanguinei decubitum ex fibrarum aliquali ſtricturâ & contentorum remora â noſtro rhevmatiſmo minus alienum eſſe demonſtrabo, ſepoſita latiori Hippocratis ſignificatione, ipſam apoplexiam, paralyſin, cordis palpitationem, dyſpnœam, hæmoptyſin &c. hoc lemmate indigitantis. Nec flatuum conſortium rhevmatiſmo denegat *Sorbait Med. Pract. tract. 6. c. 1.* expertus, flatum, qui Ipſi furioſus & Albukaſi *tr. 2. c. 92.* Nakir audit, in interſtitiis muſculorum generari, quem notabili caſu illuſtrat *Experientiſſ. Joh. Michaëlis in Praxeos Clin. ſpecialis caſu 19.* Liceat mihi trigam hanc cauſarũ in uno exhibere Rhevmatico, cujus memoriã eo libentiꝰ recolo, quo felicior curæ fuit ſucceſſus.

Con

Concernit illa ſtudioſum *Johannem Grosmann.* macilenti habitus & 25. annorum Juvenem, die 14. Octobr. anni 1716. apud noſtrates advenam, qui

multa tulit fecitque puer - -

ſequenti ætate & aliarum ærumnarum ſoſtrum, intellige morbum articularem reportavit. Hic morbus pro ſede ſua primum elegerat os iſchiaticum ſiniſtrum, ex quo dolor poſt varios ibidem exercitos cruciatus migravit in regionem ſub dextro poplite ſitam. Apparebat dicto in loco dolens durities nucem moſchatum magnitudine adæquans Emplaſtris diaphoreticis & Vigoris cum mercurio pro reſolvendi & diſcutiendi ſcopo applicatis minime cedens, ſed indies augmenta ſumens. Impoſitum tandem cataplaſma emolliens nec duritiem, nec dolorem mitigare capax erat; quapropter, irrito pariter conatu, Emplaſtrum ex pice & ſulphure in auxilium vocabatur. Verum exinde loco auxilii torturam ineffabilem experiebatur, ut hoc remoto ad cucurbitulas deſcendere conſultum duxerim. Admotis per quatriduum bis de die cucurbitulis, & repetito cataplaſmate innotuit ſuperius altior tumor, non multum mollior, dolores autem eo atrociores, ut multis precibus ipſemet efflagitaret inciſionem in affectâ parte. Itaque non ſatis laudandus chirurgus R. F. Coſmas ægrum voti compotem fecit, incidendo tumorem die 15. Decembris; ſed etiamſi inſtrumento ſatis profunde penetraret, nec ſanguis, nec pus profluxit, usque dum vulneris latera digitis premendo procuraret occaſionem extrahendi ſanguinis coagulum inſtar farciminis ad duarum palmarum longitudinem exſurgentis. Hunc ſanguinem coagulatum excepit flatus, quem furioſum dixiſſes, tam ſonorus cum illo exaudiebatur ſibilus. Cum demum turundam intrudere vellet chirurgus, ecce! haud minori cum impetu proſilire vidimus quatuor circiter libras ſanguinis floridi difficillime compeſcendi, ut & animi pateretur deliquium ac indigeret Potione confortativâ

tativâ æger noſter, remittente interim præfata duritie. Ne iterum hæmorrhagiæ anſa daretur, differebamus ad 17. usque Decembris deligationem, qua ſuſcepta ab initio multum ſanguinis extra vaſa cogulati forcipe protrahebatur, ſub ſequente fœtore putredinoſo & libris duabus floridi roris. Die 20. Decembris & ſanguis liquidus, & coagulatus, indies hactenus parcior, penitus ſubſtitit, ejusque vices ſupplebat ichoroſum ſerum ac cinerei coloris filamenta contorta, ſatis curioſe usque ad 2. Januarii excreta. Ceſſante ſanguine putredini obicem ponere nobis curæ fuit. Quapropter herbæ ſcordii, centaur. min. abſynth. plantag. hyperici, ſabinæ cum aqua calcis vivæ decoquebantur, hocque decocto mundificabamus ulcus tam ſpatioſum, ut octo decocti ſyringas caperet. Expreſſo mox iterum laudato Decocto immediate aliud adhuc injecimus, quod cum vino præparatum præter recenſitas herbas continebat rad. ariſtoloch. rotund. oliban. myrrh. aloën, ſuccinum & poſt horæ ſpatium compreſſæ, nunquam non in ſinuoſis ulceribus perquam neceſſariæ, debitus aſſignabatur locus. Hic erat deligandi modus, cui tandem accedebat turunda plumbea excavata ad facilitandum ichoroſæ materiæ exitum. Cum die 2. Januar. cavitas ulceris ſatis anguſta eſſet, ope penicilli applicari ê re eſſe fidebatur unguentum ex melle roſat. Eſſ. ſuccin. myrrhæ, pulvere ariſtoloch. rot. Die 13. ſepoſita fuit modo memorata turunda plumbea, quoniam parum effluebat materiæ, quæ ad 17. Januarii maxime tenuis, injecto vero ſpiritu matricali adeo ſpiſſa reddebatur, ut inſtar glutinis potuerit protrahi, decreſcente interim caverna. Die 25. de novo materia apparuit limpida & ſanioſa ſanitatem impediens, etiamſi æger inciperet obambulare. Ad revocandam itaque curæ ſpem die 5. Febr. turunda ex ungu. ægyptiaco, cui parum croci metall. inerat, conficitur, qua intruſa materia meliorem quidem induit indolem, cavitas vero, quæ ex utroque latere evanuerat, in medio longitudi-

 nem

nem digiti adhuc conservabat. Hæc ipsa cavitas operam nostram diu illusit, usque dum balsamo vulnerario ex vitello ovorum, spiritu vini, mumiâ, aloë, myrrhâ, olibano, magistraliter praeparato & injecto, quo tandem imbuebatur turunda, exoptata fieret medela. Colophonem addidimus sarcotico, quod, si sumtus spectes, nullius, si utilitatem, magni est pretii, ut hic ipsi locum assignare nullus hæream. Sumitur nimirum libra una interiorum solearum, a calceis longo usu destructis, tres partes libræ de pomis putrefactis ac exsiccatis, hæc minutim scissa in crucibulo fortiter calcinantur in pulverem glauco-nigricantem, quo caro brevi redintegratur. Tendinum debilitati atque tensioni unguento nervino suppetias tulisse non pœnituit, hoc enim antecedentibus auxiliis superadditũ integræ sanitati Rhevmaticum nostrum restituit. Haud quidem inficias eo, me omnis generis interna adhibuisse medicamenta Rhevmatismo singulariter dicata, quæ, tametsi magnæ sint efficaciæ, hic parum profecisse, ingenue fateor, cum decubitus seri sanguinei parti affectæ tam tenaciter fuerit incuneatus, ut nulli cedere potuerit remedio, & certo metuenda fuerit anchylosis, seu motus abolitio in poplite ab humoribus infarctis, quorum interventu musculorum tendo non obsequitur, nisi abscessu saluberrime producto prævenissemus scyrrho atque motus privationi in genu.

Interim, ne manca & mutila nostra videatur Historia, aliique Rhevmatici, quibus magis obiter oberrat peccans saburra, habeant, quod ipsis pro solatio inserviat, operæ pretium erit, paucis indicare, quæ multis aliis sæpius exoptato, nostro autem frustraneo conatu interne propinavimus. *In Ephem. Nat. Curios. Cent. 5. & 6.* invenies specificum effectũ in articulorum morbis ab Ess. aristoloch. rot. â me multoties expertâ, quam apud nostrum præmittere placuit. Medicamentis ex lumbricis pariter concedebatur locus; exhibitis tam in forma pulveris cum cinnabarinis, ossibus

ſibus microcoſmi &c. quam cum Gelatina cornu cervi, cujus ℥iiij. ſucci lumbricor. terreſt. ℥ij. & ſyr. acetoſit. citri ℥j. admiſcetur commode, nec ſine magna utilitate cochleatim quolibet trihorio rhevmaticis datur. Juvat hic innuere peculiarem lumbricos terrſtres exhibendi modum, dum ſcilicet ſupra lamina ferrea toſti ac pulveriſati ad aliquot cultri cuſpides inſperguntur ſimilagineo pani vino malvatico imbuto, cujus panis tabulam per decem dies jejuno ſtomacho comeſtam & rhevmaticos & inveterato aſthmate convulſivo laborantes ſanaſſe recordor. Non contemnendæ energiæ, quam in Decocto radicis bardanæ *Foreſtus lib. 9. obſ. 7. & Simon Pauli in Quadripart. Botan. p. m. 362.* admiratus fuit, memor, idem tentare lubuit, uti etiam Decoctum ſaturatiſſimum ligni & corticis guajaci, quod ad libram ſemis mane & veſperi tepide hauſtum multoties rhevmatimum exſtirpavit. Maturus morbi per apoſtema exitus impedimento erat, quo minus ſulphuris aurati Antimonii virtutes implorarem, quas & in hoc morbi genere magnas eſſe me minime latet. Injuria proximo fieret, niſi mentionem injicerem evporiſti â R. D. F. Cœleſtino Noſocomii apud RR FF. Miſericord. Pharmacopœo induſtrio mihi commendati, cujus periculum nuperrime in rhevmatiſmo atque Arthritide non ſine animi gaudio feci. Conſiſtit hæc Panacea, ipſi mercurialis dicta, cum natales mercurio & antimonio debeat, in pulvere nigricantis coloris, nulliusque ſaporis, cujus ſcrupulus unus inditur libris quatuor vini Auſtriaci, de quo poſtmodum vino quotidie matutino ac veſpertino tempore tantum, quantum urceolus potui Thée deſtinatus capit, hauſtum, excitat diureſin, alvum reddit lubricam & hac ratione educendo ſalia arthritidem, rhevmatiſmum &c. generantia, morbos hujus proſapiæ tuto atque jucunde pellere valet. Nolo tamen prolixus eſſe in extollendo medicamento, quod quotidiana accedente experientia, mihi impoſterum abundantem ſcribendi oc-

casionem suggerere poterit. Sufficiat hac vice historia Rhevmatismi, qui in poplite ac genu tam altas agens radices, ut ægrum omni hujus membri motu ad mortem usque privasset, per abscessum feliciter fuit sublatus.

XXI.

Historia Abscessu Hepatis demortui.

IN *Ephemeridum nostrorum Cent. 3. & 4. observatione 145. quæ Hepatitide subito extincti anatomen* exhibet, Hepatitidem sub acutæ febris schemate delineavi; hanc, *ubi non solvitur (ut acutissimi Jodoci Lommii obs. medicinal. l. 2. p. m. 166.* verba mea faciam) haud raro suppurare, oririque abscessum prorsus exitialem, modo notabili exemplo demõstrare in animo est.

Introduxerunt ad nos die 31. Martii anni 1717. Aurigam *Christianus Rosenberg* nominatum, ætat. 38. ann. qui jecoris inflammationem manifestabat signis â laudato Lommio l. c. ad amussim delineatis. *Adfuit,* scilicet, *febris ardens & acuta, dextro præcordio tumor inerat, cui dolor jungebatur, qui ad nothas ejus lateris costas pervenit. Itaque levis quoque tussis & crebra & sicca oriebatur, spirandique difficultas: accessit ingens sitis, cibique fastidium: tum lingua scabrosa reddebatur, & lentore onerabatur primum flavo, dein nigricante: quin etiam frequens movebatur singultus, & nausea & vomitus sinceræ bilis, tum vitellinæ, tum æruginosæ &c.* Præter hæc adhuc annotavi aphthas numerosè linguam atque œsophagum, quousque illum aspicere conceditur, obsidentes, quæ etiam inter bibendum excitabant dolorem. Die 3. Aprilis alvus incepit esse maxime lubrica, indies magis magisque fluxus colliquativi naturam induens, insimulque, ut iterum cum *Lommio* loquar, *putrida & saniosa, acsi ex cadavere esset facta colliquatio.* Cum hæc fierent, æstus, deliria, dolores, aphthæ disparuerunt, remanente adhuc summâ debilitate, pulsuque parvo ac languido.

guido. Die 6. hujus mensis dictæ Diarrhœa se associabat singultus ac creberrimus vomitus ejusdem fœtoris cadaverosi & coloris fusci purulentique,prout in alvi excrementis innotuit. Ob continuos vomitus die 7. omnia respuebat potulenta, animi deliquio detentus usque ad 10. Aprilis, quo animam Creatori suo reddidit. Quæ in hoc morbo â me acta fuerunt, prolixè recensere haud operæ pretium erit, cum æquus Lector, me tacente, judicabit, me hic minime seposuisse venæ sect. alexipharmaca, nitrosa, citrata & hujus commatis medicamenta internis inflammationibus obicem ponentia.

Postquam plus arte valuit malum, forsan boni adhuc aliquid enasci poterit ex intimiori cadaveris inspectione, cui sequenti die horulam impendere placuit. Remotis infimi ventris integumentis omenti longitudinem admiratus fui, utpote quod naturaliter constitutum (si excipias maculam nigricantem ex ea parte, qua hepar respexit) propendebat usque ad inguina, indicio, quod dilatatis processibus peritonæi quandoque sine omenti ruptura hernia epiplocele produci possit; cujus exemplum oppido rarum exhibet *celeberr. Laur. Heister Ephem. Cent. 5. & 6. obs. 85.* Maximam merebatur admirationem Corpus delicti, intellige Hepar, cujus moles adeò erat stupenda, ut majus hoc unquam inventum fuisse vix credam. Disquirant alii, an præternaturalis hæc conformatio morbo lethali occasionem suppeditaverit; mearum modo partium est innuere, hoc viscus in externa superficie præter stigmata sanguinis nil monstri aluisse, dissectum verò tantam dedisse putredinosam saniem excrementis antea per vomitus & secessus ejectis, ut ovum ovo similem, ut instar utris sanioso pure repleti appareret, adeo quidem intra breve tempus post inflammationem in putredinem degeneraverat tota tota interna jecoris substantia. Nullus itaque in dubium vocabit hanc ipsam putredine corruptam substantiam per biliosa

vasa ad intestina translatũ exitum sibi quævisse *ἄνω ϗ κάτω*, de quo, & reliquorum apostematum hepati propriorum differentiis plura notatu digna evolvi merentur in *Celeberr. Herm. Bœrhaaven aphorismis* §.936. *seq.*

XXII.

Historia fistuloso polypo Cor & aortam inhabitante demortui.

OMnium rerum vicissitudines si ullus certe L. B. de Z. exemplo suo nobis comprobare potest, utpote qui perillustre stemma pauperie obfuscante, authoritatem, qua in Exercitu Polonico ut Legionis Præfectus pollebat, hospitalari obsequio & corporis robur gravissimo morbo commutare in fatis habuit. Seposita fortunæ eclipsi tragicâ corporis solum phases ex instituto nostro enarrare hujus loci erit.

Cum anno 1717. die 12. Martii Nosocomii civibus adscriberetur, observatus fuit œdematosus tumor pedum & sinistræ manus olim vulneratæ, tussis, copiosum sputum, dulcorem redolentis albi, viscidi & spumescentis phlegmatis, asthma ac febrilis æstus noctu ingravescens, pulsus inæqualis ac debilis, atque vocis raucedo. Huic hostium turbæ opponere consultum duxi anticachectica & asthmati conducentia medicamenta: in illorum censum veniebant pilulæ polychrestæ D. Becheri martialibus maritatæ, vinum medicatum laxans, Essentiæ amaricantes, chalybeatæ, Electuarium ex chalybe &c. inter hæc vero primas tenebat Potio ex aquæ hysop. fœnic. an. ℥iij. asthmat. R. pectoral. Nor. ana ℥ß. oxymell. squil. ℥j. gum. armon. sol. ʒiß. syr. nicot. corr. helen. an. ʒiij. composita, quam nunquam non magni fecit. Tumore leucophlegmatico ulterius ad scrotum, abdomen, ipsamque faciem serpente diureticorum energiam in Lixivio benedicto Minf. experiri & balneo laconico serum

intra

intra musculorum poros habitans elicere volebam. Verum externum hoc remedium suffocationes augendo nocumenti,& internum nullius erat auxilii. Quod externa auxilia concernit, hydropicorum interest, ut ea nigro notem carbone, postquam sæpius, & nuperrime adhuc expertus fui, Decoctum ligni guajaci & sassafras, quod instar fotus applicatum, exsiccando ulcera pessimi moris mire sanat, Leucophlegmatici modo reconvalescentis pedibus impositum morti ansam suppeditasse, sursum iterum lympham repellendo. Lotium toto morbi decursu naturali simillimum strenue profluxit, ut & sputum, quod postmodum flavescens ægrius excretum fuit. Scrotum & penis sero hactenus maxime tumens appropinquante morte penitus detumuit. Tot miseriis victus occubuit miles noster & ex gratia speciali mortuus est in Hospitali die 25. Aprilis.

De causa procatarctica non eram multum sollicitus,postquam enim Baccho ex propria confessione diu litaverat, crematum tanquam humores coagulandi ac inspissandi artificem accusare non vereor. Operæ magis pretium videbatur proximam malorum scaturiginem cultro anatomico detegere & inquirere, an in nostra potestate situm fuerit ægrum ex fati faucibus eripere?

Itaque extispitio manus admovimus sequenti post obitum die, investigando primum abdominis viscera, quibus nulla erat deformatio, excepta vesicula fellea â bile nigroviridi in stupendam magnitudinem distenta. Instituto viscerum, quæ thorax continet, scrutinio hydra Lernæa se conspectui dedit, cui enecandæ ne quidem Hercules suffecisset.Occupaverat nimirum sinistrum cordis ventriculum, ejusdem auriculam & aortæ principium polypus membranaceus duarum spithamarum mensuram implens, quem, cum arteriæ instar excavatus esset, si fistulosum dixeris, non errabis. Fistulosus hic polypus nullibi, si recte memini, annotatus, ejusmodi purulentam materiam, qualem

lem tussi tandem exspuerat & pulmonum ulcus mox memorandum alebat, in sinu seu cavitate sua abscondit. Nullibi polyporum alias individuus comes, seri scilicet in ventribus diluvium apparuit, & in pericardio vix ultra ℥j. lymphæ aderat. Videbatur itaque ac si rarior hic polypus plurimam suam sævitiam exercuisset in pulmonibus & remotissimis artuum musculis, hos onerando lympha extravasata, illos destruendo ulcere insanabili. Totum quidem pulmonum parenchyma steatomatibus ipsisque lapidosis concretis scatuit, sed sinister lobus pleuræ tenacissime cohærens in superiori ejus parte adhuc ulcere erat corruptus. Quæ ex tali ulcere generatur humorum dyscrasia, ne quidem lippos atque tonsores latere potest, eam vero, vitiatis glandulis asperæ arteriæ divisioni adjacentibus, raucedini ansam suppeditare non videtur absonum, etiamsi haud penitus exclusam velim Raucedinis causam â me *Historia 16.* allegatam. Quomodo tale pulmonum ulcus raucedinem inducat, leges erudite enodatum in *J. M. Hoffmanni celeberr. Altorffens. Professoris Disquisitione corporis humani anatomico-pathologica specim. 15. §. 16. p. 216.* cujus verba hic apponere Lectori haud erit ingratum. *De reliquo, scribit, nullum penes nos dubium est, glandulas, quas celeberrimus Phil. Verhegen corpor. human. anat. Tr. 3. c. 8. descripsit & Tab. 18. fig. 6. lit. Ccc. ære exprimi curavit, primæ asperæ arteriæ divisioni, primisque ejus ramulis adjacentes, nonnullas ab illis notabiliter distantes, magnitudine varias, molles, & succulentas communi involucro tectas, colore subnigras, alias figura ferme ovales, alias irregulares, alias magis longas ad instar uvarum Corinthiacarum, alias triangulares ob superficiei æqualitatem ad glandulas conglobatas referendas, similibus cum affinibus glandulis morbis, & si hactenus nondum descriptis obnoxias esse, hinc consequenter ab intemperata sanguinis & lymphæ dyscrasica intemperiei diversæ ab eorundem cohibito motu tumoribus & morbis meatuum, ab acrimonia erodente & depascente, abscessibus ac ulceribus, destillationibus ad hæc catarrhalibus*

suc-

ſuccumbere, & haud ſubminiſtrato, uti quidem debebant, ab ipſis pro bronchiorum humectatione humore unctuoſo, ad raucedinis geneſin ſymbolum conferre. Pathologiæ hujus veritas eluceſcit ex Phthiſicorum anatome, quæ me docuit illis, quibus rauca vox erat, nunquã non exulceratam fuiſſe ſuperiorem loborum partem, glandulas ſcilicet modo deſcriptas; his vero ſalvis reliqua pulmonum ulcera nulli facile mutaſſe loquelam. Meretur adhuc conſiderationem ſputum purulenti quodammodo odoris & colore vix alteratum, tametſi provenerit ex ſordido pulmonum ulcere. Hoc & reliqua ulceris ejusmodi phænomena nervoſe explicantem audiamus *incomparabilem Wepfferum in Conſilio Carolo Friderico Marchioni Badenſi* dato, quod *Bernh. Verzaſchæ obſerv. medic. 100.* inſertum eſt, & uti omnia hujus Viri ſcripta judicium nulli ſecundum monſtrat. Non plagii reum me faciam, ſpero, ſi tanti Viri cogitatis Hiſtoriæ meæ bonam, ut loquimur, clauſulam imponere ſtudeam, cum aliquem ſolidiora proferre poſſe merito dubitem. *In ulcere pulmonum*, inquit, *prout etiam in aliarum partium ulceribus fieri ſolet, textura parenchymatis pervertitur, veſicularum, ex quibus pulmo componitur, membranæ tenuisſimæ, arenarum telis ſimiles, partim craſſeſcunt & vel duplo crasſiores fiunt, partim perrumpuntur, ut ex plurimis veſiculis minutis una vel plures amplæ cavernæ reſultent: Capillamenta extrema arteriolarum exeduntur & magis patula redduntur, ut plus ſucci nutritii in cavernas effundant: extrema venarum capillarium & vaſorum lymphaticorum oſcula vel obliterantur, vel non cohærent amplius cum capillamentis vaſorum alimenta afferentium, unde ſuperfluum non reſorbetur, ſed in cavernis ſtagnat, & quoniam pars exulcerata ſemper inflammata & calore præternaturali prædita eſt, illud, quod ſtagnat, facile inſpiſſatur & lentorem contrahit, ſimulque turbidum, ſubviride & globoſum evadit, quin diutius intra pulmones calidiores plurimoque ſanguine turgentes in cavernis detinetur, quod etiam fœteret, ſi longiori mora his in locis ſubſiſteret &c.*

XXIII.

Historia & anatome fluxu, sic dicto, hepatico demortui.

JOco-seriam quondem *Ventriculi* defensionem *Bernhardus Swalve*, hujus visceris *querelas & opprobria* ventilans, in se suscepit, cum ipsi vicinum *Hepar à clarissimo Thoma Bartholino, ut defunctum & cujus exauctorati causa desperata sit*, solenni funere illuderetur. Scimus, quantum autoritatis perdiderit nobilissimum hoc viscus, postquam coram Reipublicæ Medicæ tribunali in sanguificationis negotio causa cecidit, & quam variis injuriis successu temporis fuerit obnoxium. Cui cordatiori non moveretur bilis? quoties â vulgo Practicorum Bilis, succus hepati proprius, fermè omnium morborum causa innocentissime statuitur, utpote quod præsentibus quibuscunque febribus vel altioris indaginis morbis vix aliud blaterat, quam bilis effusionem in sanguinem. Erroneæ hujus hypotheseos fundamentum credulis ob oculos ponere satagunt Medici tales stupidissimi, provocando ad vomitus nunquam non ultimo biliosos, nec considerant, bilem, compresso ob vomendi conatum fortiter dextro hypochondrio, effundi necessario ex vesica fellea per ductum choledochum in ventriculum, etiamsi in corpore minime abundet. Eo tandem simplicitatis pervenerunt, ut & in publicando ex sacris Cathedris morborum genere, raro aliud audies, quam accusare bilem, acsi omne id, quod præter naturam accidit, ex bile abundante originem ducat, nobisque biliosi, ne dicam, furiosi morbi sint quasi endemii. Nititur vero hæc Pseudodoxia epidemica non firmiori argumento, quam nostratibus familiaris maximeque incongrua mortis denunciatio, qua omnes indiscriminatim dicuntur extincti aut asthmate suffocativo, aut apoplexia, aut utroque simul, cum tamen tyronibus

artis constare debeat, hos mortis prodromos non semper morbum lethalem, sed utplurimum ejus esse symptoma. Magna etiam injuria afficitur hepar ab illis, qui unice in eo omnem hydropis fomitem quærunt, hunc verò sæpius alibi, Jecore penitus salvo, latere, in superioribus detexi. Nimis laboriosum esset in his & similibus Advocati partes tueri; attamen non possum non, quin hac vice hepar fluxus, sic dicti, hepatici insons declarem & ab hoc morbo per sequentem historiam absolvam.

Johannes Bell, Sartor, 46. annorum Vir macilenti habitus â longo tempore de difficiliori alvo, dum deficiente siti parum bibebat, & sæpius doloribus colicis conquestus ante annum propter subluxatam vertebram in dorso, & respirationem non satis liberam Nosocomium intravit. Hac pectoralibus resolventibus restitutâ, & illa chirurgicis adminiculis ac inunctione cum ungu. carminativo Augustanorum, quod hoc in passu magni æstimo, reposita, brevî valedicebat. Anno 1717. Mense Martii rediit laboriosior respiratio, verum absque tussi, exspuitione & æstu. Sensit subinde horrorem ac in extremis partibus frigus, nunquam vero, quamdiu vixit, dextri hypochondrii dolores, vel hæmorrhagias passus fuit. Cum medio Maji onus portasset gravius, sibi cor & os sacrum dolere, omnesque artus debilitatos esse anxiè ejulabat. Irruit insimul æstus intensissimus, cephalalgia, fluxus alvi per quinque dies, & tribus vicibus eructavit vomitu biliosas cruditates, quas uxor postmodum exhibito vomitorio radicitus exstirpare intendebat. His concomitatus miseriis repetiit die 5. Junii asylum nostrum, ubi nobis adhuc manifestavit sitim intensissimam linguamque valde siccam, quæ una cum æstu & fluxus præfati recidiva die octavo ejusdem Mensis adeo erat exsiccata, ut vix verba valeret proferre. Die 18. primum in deponenda alvo excrementa prodibant sanguinolenta, circa linguam autem, vires atque febrem notavimus vicissitudi-

tudines mox in deterius, mox in melius vergentes. Interim cruentæ ſedes tenuioris conſiſtentiæ ſine torminibus indies continuarunt, & auctis ſupra præfatis ſymptomatibus die 13. Julii ipſo inſcio effluxerunt, usque dum die 20. memorati menſis nil vitalis ſpirit. in corpore amplius remaneret.

Omiſſis ob febrem adſtringentibus, & ob virium proſtrationem misſione ſanguinis revulſoria, refrigerantibus, balſamicis ac incraſſantibus morbum fuimus aggreſſi adhibitis etiam clyſteribus conglutinantibus. Nolo tempus terere medicamentorum recenſione, inprimis cum incaſſum laboraverim: Lectori, ſpero, magis intererit internum cadaveris cognoſcere ſtatum.

Hujus enodationi ſequentis poſt obitum diei horula matutina impendebatur, ut majori attentione perſcrutaremur tenebris hactenus obvoluta myſteria. Thorax revelavit in pulmonibus ulcus ad aſperæ arteriæ ramificationes pertingens; compreſſo enim pulmonum parenchymate prodibat per dictum canalem pus in ulcere latens. Dexter pulmonum lobus pleuræ verſus latus & inferius diaphragmati firmiter erat annexus. Certiorem mortis cauſam quærentes ad abdomen nos contulimus, ubi primo ſtatim intuitu omentum absque adipe & totum hepar coloris penitus citrini cum ſatis amplâ fellis veſica oculis noſtris ſe ſiſtebat. Cultro diſſectum jecur exſangue & ejusdem fuit aſpectus, uti vitulinum poſt coctionem noſtratibus conſuetam. Lien haud difformis præter fiſſuram in exteriori ſuperficie conſpicuam, quæ ad naturæ luſus referenda quinque filamentis quaſi conſuta erat. Notari inprimis meretur, quod ſanguis toto in cadavere deficiens ad vaſa meſaraicæ videretur delatus, ut & â ſanguinis copiâ turgidæ eſſent meſenterii venæ pariter atque arteriæ. Quapropter diligentiori inteſtinorum examini ſtudens totum eorum ſeriem diſſecare juſſi & ſollicite inquiſivi in interioris tunicæ conſtitutionem. Ea vero in duodeno & jejuno naturaliter ſe habebat, ſed ubi

Ileon

Ileon incepit, ibi etiam contenta cruore erant tincta, quæ ſanguine permixta excrementa ad anum usque obſervabantur. Lavatis & abſterſis ſpongia inteſtinis Ileo, ſcilicet, cœco, colo ac recto in villoſa tunica, tot puncta rubra, quot pori apparuerunt, & quoties digitis leniter comprimebatur inteſtinum, toties exinde tranſſudarunt ſanguinis guttulæ, quales in duodeno & jejuno nulla vi protuiſſes prolicere. Rariori huic phænomeno non minus curioſum adhærebat inteſtino colon dicto, nimirum ſpithama una infra cœcum propendebat inteſtinulum, prout illud figura exhibet, quod cum reliquis eadem gaudebat ſubſtantia & in ſinu ſuo etiam ejusmodi fovebat morbum.

Quis ex præmiſſis non videt omnem mortis culpam hic in ſanguinis Dyſcraſiam & in inteſtina cadere? atque magnam huic fluxui eſſe analogiam cum hæmorrhoidali? Ex anatomia patet, venam hæmorrhoidalem internam rami meſcent. è Porta prodeuntis, & arteriam hæmorrh. intern. arteriæ meſenter. inferioris eſſe ſurculos, prout externa vena propago eſt hypogaſtricæ, quæ eſt ramus Iliacæ â trunco venæ cavæ, & externa arteria hypogaſtricæ, quæ ab Iliaca ê ramo arteriæ magnæ infimo ventri dicatæ conſurgente provenit. Horum ſurculorum inprimis arteriarum oſtiola ſi â ſanguine vel ob quantitatem vel qualitatem vitioſo, aut ab externis injuriis aperiantur atque dilatentur, hæmorrhagias excitant plus minus enormes. Nec venas excluſas habere vult *Schenckius Exerc. an. 5. l. 1. ſect. 2. c. 15.* qui ab earũ ſubſtantiæ ſingularitate, pluralitate, ſitus declivioris pronitate & a venis varicoſis prægnantiũ in femorib. & cruribus, quæ quandoque ſponte ſua rumpuntur ac aperiuntur, demonſtrat, plus adhuc ad hæmorrhagias contribuere, quam arterias. Cum itaque quotidianæ experientiæ ſit, hæmorrhoidalia vaſa in inteſtino recto quandoque aperiri, cur idem fatum data ſimili occaſione non tangeret reliqua vaſorum ſanguiferorum oſtiola pariter ad inteſtina


ſanguinem copioſe ducentia. Nec anget me amplius ulla difficultas, quo minus animo concipere poſſim, cur hepar ſanguine orbum fuerit, quoniam ſcilicet unanimi medicorum conſenſu ſanguificationis principatu deſtitutum, & evacuato ſucceſſive per fiſtulam inteſtinalem ſanguine parum vel nihil ejus recepit, uti etiam reliquæ corporis partes, quibus ex eadem ratione nos ille laudabilis defecit. Maximum ſanè hepaticum, inteſtinis, quoad ſanguinis viam, intercedit commercium, ut non mirum ſit, ſi recluſa in uno ex duobus viſcere per Portam porta, ſanguinis fiat penuria & ſuccedat Maraſmus. Conſideratione tamen dignum eſt, quod inteſtina duodenum & jejunum ex iisdem fontibus ſanguiferis nutrita huic hæmorrhagiæ non fuerint ſubjecta. Quid ſi, ſalvo tamen certiora docentium judicio, eam in prioribus hiſce inteſtinis ſuccus pancreaticus auſterus vaſorum orificia conſtringens ac occludens impediverit? Sed ſufficiant hæc de Hepatis innocentia, quod illum fluxũ concernit, dicta, utpote ex quib9 clarè innoteſcit, hunc morbũ rarum, quem *Dolæus Encyclop. m. l.3. c.10.* ter, & *magnus Sylvius Pr. med. l. 1. c.13.* nunquam vidit, melior jure appellari Hæmorrhagiam inteſtinalem, quam fluxum hepaticum.

XXIV.

Hiſtoria Steatomatum capitis verticem occupantium.

INter cyſticos tumores ſteatomata propter contenta ſolidiora â ſuppuratione immunia procul dubio primas tenent, quæ ſi intra corpus in cavitate aliqua progerminent, cauſam ſuppeditant lentæ morti, qualia notatu digniſſima ex dextro ovario producta, abdomen immenſam in molem extendentia, & decem libras ponderantia in puella quindecim annorum, ſtatuarii filia, præſentibus *Nobiliſſ. D. Ræthel Sprottavienſis Circuli Practico celeberr. Gunzelio & Sommero Chirurgis dexterrimis* nuperrime perſcrutari licuit. Merebitur forſan curioſa hæc obſervatio aliquando in Ephemeridibus

noſtris


ad Hist. 24

ra in occipite occurrentia. Ab illis itaque R. D. F. Cosmas, sepositis Emplastris resolventibus dolores magis augentibus curam inchoabat, incidendo per crucem cutem obtegentem steatoma, quo denudato sponte prorumpere vidimus albissimam quasi fabam, cujus tunica albuminis ovorum cuticulam & contenta albumen coctum exacte referebant. Successive sex hac methodo fuerunt eradicata, eâ tamen differentia, ut minora indigerent separatione, acsi immatura, instar pyrorum, penicillo adhuc tenaciter adhærerent. *Marci Severini* Consilium *de recondita abscessuum natura l.3. c.5. ne excisis hisce tuberibus tuniculæ vel pauca portio restet, quoniam quasi residuis radicibus exultat rursus germinatio:* fideliter sequuti, prospeximus postmodum vulneri spiritu matricali ac Emplastro de betonica & brevi erat sanatum. Sex adhuc restantia, ut parva & indolentia excisionem nondum indigere videntur; vereor autem, ne hæc cum tempore augmenta pariter sumant, novaque proveniant, quoniam causa morbi, intellige lentorem humorum, corpori adhuc inhæret. Ad hanc feliciter eliminandam Autor quidem suasorque fui, ut se accommodet ad curam mercurialem blande instituendam; sed surdæ narravi fabulam, fiduciam interim ponenti in liquorem mercurialem â famigeratissimo Patre Feliciano unà cum aliis haud contemnendis euporistis v. g. Electuario anthydropico, spiritu antapoplectico &c. Parenti quondam communicatum. Apparet ille liquor instar aquæ fontanæ limpidissimus, odore saporeque spiritui nitri dulci simillimus, ut hunc spiritum menstrui loco inservisse mihi valde sit probabile. Dosis ejus se extendit ad 90. guttas, quæ largam excitaret diaphoresin, an vero insimul attenuandi virtute, quali specifice excellit mercurius & ex eo parata, polleat, tempus me docebit.

XXV.

Hiſtoria & Anatome Febre hectica ſalvis viſceribus demortui.

PUtridæ Sanguinis corruptioni non ſolum pathologia animata *Athanaſio Kirchero & Chriſtiano Longio* quondam exculta, ſed & omnis innititur malignitas, quæ turbata ſanguinis mixtura præter alia funeſta ſymptomata ſubitaneam & omnimodam virium proſtrationem ſibi habet conjunctam. Omnium memoriæ adhuc inhæret, quanta ſequatur ſtrages febrem malignam epidemice ſævientem, nec ullus forſan inficias ibit fluidas corporis noſtri partes fovere mali fomitem. Hunc tandem ad ſolidas tranſire, quis dubitaret? poſtquam ex delirio cerebri ejusque membranarum, ex præcordiorum anxietatibus ac calore cordis, ex vomitu ventriculi &c. pathemata judicare poſſumus. Dari tamen morbum lethalem, qui ſalvis partibus ſolidis unice humoribus inhæret eosque lenta malignitate inficit, ſequenti demonſtrare hiſtoria operæ pretium erit.

Lapicida viginti annorum Juvenis *Matthias Hirſchleben* tuſſi & ſputo cruento arti ſuæ alias non infrequenti anno 1717. die 20. Maj. afficitur.

Præterlapſa hebdomade ob debiles vires lectum petere & 26. Junii nos accedere cogebatur. Tunc temporis liber erat â ſputo præternaturali tuſſiendique moleſtiis, nec conqueſtus fuit, niſi de ſiti ſummoque corporis languore, ut & ſurgere non valeret. Cætero ſatis bene commedebat ac ſomnum capiebat tranquille. Pulſus vix tactu perceptibilis, lotium tenue & pallidum, alvus nunquam non difficilis. Menſe Julii appetitus multum ceſſavit, & die 22. Febris cum alvi fluxu, quo primum excrementa fuſca, fœtentia ac poſtmodum mucoſa inſtar ſpermatis ranarum obſervabantur, magno impetu irruit, qui calor hecticus poſt paſtum genas roſeo colore tingens volasque manum urente

æstu afficiens, atque frequens alvi dejectio ægrum non nisi cum vita die 3. Augusti deseruêre.

Ex hactenus nota hecticæ febris indole visceris alicujus antecedentem obstructionem & hanc excipientem abscessum præsupponens, juxta methodum causæ morbificæ ejusque symptomatibus per chalybeata aperitiva, passulata, gelatinosa, lacticinia aliaque demulcentia, & tandem cydoniata frenum injicere tentavi. Etiamsi nec sanguinis, nec humorum dyscrasiæ medicamenta adhibita obstent, quo minus sæpius ab his corrigi possit, tantæ tamen corruptioni minime satisfecisse dolemus, & eo magis postquam extispicium eodem adhuc die institutũ viscera penitus salva nobis exhibuit.

Adstabat, cum aperiebatur cadaver tabe consumptum, *amicissimus D.Rethel experientissimus Sprottaviensis circuli Nobilium Medicus*, qui mecum inspexit pulmones floccidos cæruleis punctis ob stagnantem sanguinem exterius conspicuos ab omni scirrho vel abscessu immunes. Cordis quidem uterque ventriculus polypum abscondebat, sed adeo tenuem, ut sanguinis circulo obicem posuisse non fuerit credibile. Diaphragma, hepar cum bile, lien, pancreas, omentum pinguedine saltem destitutum, renes carebant omni labe, ex intestinis autem Ileon lumbricum continuit album, teretem & satis longum, cum reliqua intestinorum contenta intense flava, nec fœtentia essent. Interna intestini recti tunica quodammodo nodosa & durior nescio an in causa fuerit, quod ani sphincter & in vita & post mortem semper hiaverit.

Hic viscerum status quemlibet facile convincet, unice sanguini & humoribus, quorum naturalis mistio fuit adeo destructa, ut colliquatio per alvi fluxum se terminans sequeretur, jure meritoque imputari mortem. Accessit verminosa putredo, quam *immortalis famæ Bartholinus Ephemerid. d.1.a.1. obs.50.* in sanguine ex sectâ venâ, alii ab *Excellen-*

cellentiss. Sachsio à Lewenheimb in Scholio ad laudatam observationem collecti in omnibus nostri corporis humoribus annotarunt, in nostro pariter visa. Cum enim, (quod superius fuisset memorandum,) extincto ante aliquot horas homine, cadaver sectioni anatomicæ exponeretur, eius peripherium ubique circumdabant vermes tarmorum speciem habentes, turmatim per nares, os anumque prodeuntes & de humorum putredine evidentissimum perhibentes testimoniũ. Citius, quam communiter fieri solet, cadaver hoc vermibus cessit in prædam; nos, & si paulo tardius, idem certè ex-spectat irrevocabile fatum, quod serio meditari interest, & ut maneat altâ mente repostum:

Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror;
Sic hanc in speciem vertitur omnis homo.

